



INDEX MATERIALIUM  
ALPHABETICUS.

**A**  
De Alienatione Honorum Civitatis  
ad l. 3. C. d. vend. reb. civ. 10.  
Actusa n. 14.  
Andree de reflector 15.  
Apum iure. 19.  
A dione Hypothecaria. 27.

**B**  
Bonis Domanalibus. 3.  
Bonorum Episcopi Descriptio. 9.  
Bismarck Rost. 19.

**C**  
Capitulatione Regni  
Germanici. n. 1.  
Conduzione Rei dominice.  
Civitatis reru alienate. 8.  
Collectis ad elevandas  
filias illustres. 10.  
Catastri revisione. 13.  
Contractibus in scriptis. 20.  
Convalescentia. 24.  
Capitalibus inimicis. 28.  
Calliditate forensi. 30.  
Competentia fori. 33.

**D**  
De Domanalibus bonis. no. 3.  
Domanijs Regni Germanici. 4.  
Dominica rei locatione. 8.  
Dies interpellatione. 25.  
Dissertatio illustis. 56.

**E**  
Elocationis collecta. 11.  
Emeritis. 16.  
Epistola Fideicomissaria 21.  
Evuenda veritate. 30.

**F**  
Fortuna spuziorum 17.  
Fideicomissaria Epistola. 21.  
Forensi calliditate in evuenda  
facti veritate. 30.  
Foreo Competenti. 33.  
Filiaru illustrium iure exigentia  
di collect. ad elev. Germ. 11.  
Frustrum etrus.

23.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

# INDIVIDUITATE

Quam

PRÆSIDE

*Magnifico Academiae Rectore*

DN. NICOLAO CHRISTO-  
PHORO LYNCKERO,

ICTO CONSUMMATISSIMO,

SERENISSIMIS SAXON. DUCIB. A CON-  
SILIIS, ET IN AULA EISENACENSI UT ET REGIMINE

SAXO - JENENSI CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO

FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE, EJUSDEMQUE

h. t. DECANO SPECTATISSIMO, AC PROFESSORE

PRIMARIO, CURIÆ ITEM PROVINCIALIS AC

SCABINATUS ASSESSORE GRAVIS-  
SIMO

DN. PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

NULLO NON OBSERVANTIÆ GENERE ET OBSEQUII CULTU

ÆTERNUM DEVENERANDO,

publicæ eruditorum Disquisitioni

exponit

AUTOR

AUGUSTUS Hoffmann / H. S.

Die Julii M DC LXXXIV.

---

JENÆ

TYPIS GOLLNERIANIS,

VIRO  
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ATQVE CONSUL-  
TISSIMO  
DOMINO  
ERNESTO FRIDERICO  
Gnorren /

JCTO CONSUMMATISSIMO, REIPUBLICÆ  
PATRIÆ CONSULI SPECTATISSIMO, AC ILLUSTRIS-  
SIMORUM COMITUM DE MANSFELD CONSILIARIO  
SPLENDIDISSIMO,

DOMINO AVUNCULO AC PATRONO ÆTERNUM  
MAXIME DEVENERANDO

*In exiguum aeternae venerationis pignus*

Hoc quicquid est

*consecras*

Augustus Hoffmann /

AUTOR,



I. A. 7.

## PRAEFATIO.

**Q**uanquam B. L. spinosæ hujus materiæ difficultas me à limine tractationis deterrere poterat, cui Bartolus, Bolognetus, Alciatus, Zasius, Molinaus, Giphanius, ut alios omittam, insudarunt, nec tamen eam prorsus elimatam dederunt, ut non immeritò à Gomelio *Res. t. 2. c. 10. §. 1.* dicatur subtilissima, & de apicibus juris, in cujus intelligentia non minus palpitarunt Dd. quam Hercules in Lerneo conflictu, & Raphaël Cuman in *l. 72. V. O.* dicat, esse mare magnum sine fundo, in quo nunquam esset finis, testante Franzkio *Ex. 10. q. 4.* quod Cynus, uti de seipso *ad Auth. hoc ita. C. de duobus reis* testatur, ingredi aulus non est. Et materia hæc omnes alias, juxta Bolognetum *ad l. 4. §. Catoff. de V. O.* ob insignes nunquam non ibidem occurrentes anfractus atque labyrinthos mirum in modum excedit, quod nec Mozzio *in Tr. de Stipul. n. 1.* nec Wesenbecio *in paratit. tit. de V. O. n. 7.* aliter videtur, perpensa tamen simul insigni hujus materiæ utilitate, quæ non in uno Juris nostri articulo effectus suos exserit, sed per universæ legitimæ scientiæ capita se diffundit, nescio quibus illecebris ad hoc periculosæ plenum opus alexæ sim invitatus, non quidem, quod accuratius ac solidius quid de hac subtili ac intricata materia me scripturum putem, si quidem eandem magni nominis Jcti ex fundamento tractarunt; sed potius ut vires meas quid valeant, quid ferre recusent, specimine aliquali publico explorem. Methodus tractandi erit per personas, res & actiones: quia enim Jprud. nostra ver-



fatur circa juris acquisitiones & juris acquisiti persequutiones, acquirimus autem jus vel circa personas vel circa res, non incommodè facturum me puto, si observatà hâc quantum in viribus erit methodo progrediar. Qvod Deus bene vertat!

## SECTIO I.

Exhibens

# GENERALIA QVAEDAM De INDIVIDUITATE.

APHOR. I.

**I**ndividuitatis vocabulum licet minus latinum cum summo Jeto Cajo usurpare non erubescimus *l. 80. §. 1. ff. ad L. Falcid.* ubi legata individua dividuitatem non recipere dixit. Hujus Etymologiam Criticis, qui in deliciis habent verborum anatomias, examinandam relinqvimus, brevibus saltem ostendisse contenti individuitatem descendere à Præpositione separabili In & nomine substantivo Dividuitas, quam ab antiqua voce iduare, id est, quasi in duitatem fecernere, deducunt, unde & Antistius Labeo in investigandis verborum originibus diligentissimus Author viduam, quod sine duitate sit, descendere autumat *in l. 242. §. 3. de V. S.*

APHOR. II.

Individuitatem describimus, quod sit carentia potentiae receptivæ & habilitatis, quâ objectum ipso jure ad resolutionem in partes cum aliquo ejus effectu recipiendam est aptum.

APHOR. III.

Resolvitur totum in suas partes vel actu vel intellectu. Resolutio actualis est, quæ res realiter in suas partes dilpesci-

dispersitur, sicuti lignum in partes finditur, & hæ dicuntur partes pro diviso, quæ improprie partes vocantur, cum à toto separatæ non amplius partis naturam sapiant, sed nomen totius induant, & singulæ per se corpus constituent, *l. 25. §. 1. ff. de V. S. l. 6. §. 1. Com. prad.* quamvis, si quis feudum in partes dividat, non ut alienet, sed ut locet, vel usufructum alii in ea constituat, recte partem pro diviso & proprie dici per *l. 86. §. 1. ff. de leg. 2. l. 5. ff. de usufruct.* existimet, sicque explicandam esse *l. 25. §. 1. de V. S.* rejeçta *Alciati ad d. l. n. 18. Gæddei. qv. 10. Pacii 8. ant. 48.* interpretatione censeat *Wissenbach, ad d. l. n. 18.* Resolutio intellectualis est, quæ intellectus rem ut divisam concipit & repræsentat, vocaturque Metaphysicis distinctio rationis, & hæc producit partes pro indiviso ac intellectu saltem discretas ipso rei corpore integro manente, quales per concursum constituuntur inter realiter conjunctos eo ipso, dum unicuique conjuncto quidem solidum expressis verbis assignatum est, sed post mortem testatoris quia in solidum dominium in utrumque transire non potest, ipsa conjunctio quatenus neuter adhuc defecit, quodammodo in solidum dominium hoc pro indiviso dividit. Elegans quoque exemplum prostat in *l. 19. com. divid. item l. 13. §. 17. de act. emt. l. 5. de stipul. serv. l. 66. §. 2. de leg. 2.* Utraque divisio quatuor habet species, sc. numeralem, quotitativam, integram & simplicem.

APHOR. IV.

Divisio realis, quæ fit in partes pro diviso, iterum dispesci potest in Materialem, quam Entitativam vocant, & Formalem seu Essentialem. Priori modo, quælibet res corporalis potest dici dividua, quatenus est Ens aliquod compositum, & quidem cum vel sine substantiæ corruptione: sic Pamphilus, Bucephalus hæc statua quoad conceptum materialem divisionem non respuunt; ratione verò formæ determinatæ ac unius quasi spiritus, quo singulæ hæc res continentur, utique sunt individua, & ita pro diverso concipiendi modo quælibet res est simul dividua & individua.

Nos individui nomine eas res indigitamus, quæ certam ac formalem sui determinationem habent, nec detrahit naturæ individuitatis materialis rei dividuitas. Cujuslibet rei forma determinata est vel ex sui natura vel ex accidenti. Priori modo dicitur res naturâ individua, quæ abstrahendo etiam à jure divisionem vel plane nullam vel non commodam recipit; Plane nullam, ut servitutes ferè omnes & aliæ res naturâ individua earumque obligationes; Non commodam (1.) aut quod divisio sine destructione totius rei fieri nequeat, quò spectat illud Cascellii Jcti apud Macrobius *lib. 2. c. 6.* mercatori discedere à societate volenti, & quemadmodum cum socio navem divideret interroganti respondentis: Navem si dividis nec tu nec socius habebitis, unde illa Quinti Fabii Labeonis cavillatio convincitur, qui in fœdere cum Antiocho Rege icto, cum convenisset naves Antiochi dividi, omnes naves dissecuit, ac ita Regem tota classe privavit. *Cic. l. 1. de Offic. Valer. Maxim. l. 7. c. 3.* Hinc vi hujus individuitatis rei etiam alienæ Dominus effici possum, videlicet si illa Scypho, mensæ, statuæ meæ ita inseratur, ut uno corpore unaque specie, vel uno quasi Spiritu contineatur quasi aliquod individuum, unum, & cohærens. *l. 23. ff. de R. V.* Quod non est in corporibus, quæ ex pluribus distantibus sunt corporibus, in quibus singulæ partes retinent suam propriam speciem ac diverso jure possunt censer. *l. 30. de usucap.* (2) aut, quod salva licet manente substantia, aliam tamen insignem afferat incommoditatem. *Zaf. ad l. 4. §. Cato de V. O. n. 7.* v. g. res censuaræ, per quarum alienationes & divisiones cum non rarò confusio in censu percipiendi oriri soleat, in quibusdam locis cautum est, ne à rusticis ex latifundiis suis, quæ censibus & servitiis obnoxia sunt, sine consensu eorum, quorum interest, per partes distrahantur, daß sie ihre Hufen-Zins-Erb-Lehn- und Frohn-Güter / ohne Bewilligung der Lehn-Herren nicht zerreißen / von einander theilen oder verkauffen sollen. *Confer die Fürstl. Weym. S. D. art. von Vereinzelung der Güter, § l. 7. ff. com. divid.*

Tho-



*Tho' of. Syntagm. l. 5. c. 4. n. 14.* Qvò facit regula à *Gomesio 2. Res. 10.* inculcata ; individuum est, cujus pars non affert tantam utilitatem respectu partis, qvantam totum respectu totius. Qvamvis eam *Molin. de div. & indiv. p. 2. p. 262.* carnificinam ingeniorum dicat, qvam tamen propugnant *Fachin. contrav. jur. c. 10. n. 60. Alphonsus de Azevedo. conf. 23. n. 24.* & noviter *Magnificus Dn. Schilter, Præceptor meus maximè devenerandus. Ex. 4.* qvòd apparet interdum in corpore ex pluribus distantibus constante, ut si quis ex servis Symphoniacis, vel comædis, vel gemellis, aut qvadrigâ, aut ex pari mularum unam vel alteram occiderit, non solum peremti corporis æstimatio facienda est, sed & ejus ratio haberi debet, qvò cætera corpora depretiata sunt. *l. 22. ff. ad L. Aquil.* Item, si jumenta paria simul venierint & alterum in ea causa fuerit, ut redhiberi debeat, judicium datur, qvò utrumqve redhibeatur. *l. 23. ff. de edil. edict.* Hinc in judicio familiæ herciscundæ aut communi dividundo, si divisionem commodam res non recipiat, uni assignatur cæteris oblato illius pretio : *l. 55. ff. fam. ercisc. l. 3. l. 4. l. 6. l. 8. ff. com. divid. l. 1. l. 3. C. eod. l. 32. §. 2. C. de donat.* qvòd in tantum procedit, ut qvamvis legitima, qvæ multum est privilegiata, dicatur deberi filio de substantia patris *l. 36. pr. verb. repletionem C. de inoff. test. l. 8. §. 11. ff. eod.* si tamen res hæreditariæ commodè dividi neqveant, sufficit eam suppleri vel solvi arbitrio boni viri, non obstante allegata per filium ad res paternas affectione. *Panormit. in cap. Reinoldus X. de test. l. 1. 26. §. 2. ff. de leg. 1.* Justitia enim expletrix, qvoties ad idem non potest pertingere, fertur ad tantundem, qvòd morali æstimatione est idem, ut cum Grotio loqvar. Ex accidenti res fit individua vel dispositione Legis vel dispositione Hominis. *Magnif. Dn. Struv. Ex. 47. th. 15. Strauch. diff. 14. th. 3.*

APHOR. V.

Ex dispositione legis Carolinæ in *A. B. tit. 20.* individua sunt bona ad Electoratum pertinentia, qvæ ita annexa sunt Electorali dignitati, ut ab ea divelli neqveant, qvò Electorali hac dignitate coruscans habeat, unde statum  
suum

suum splendidius sustinere queat. Unde nec centenariæ nec immemorialis præscriptionis auxilio tutos esse censent possessores horum bonorum, quod juris est in omnibus aliis bonis domanialibus, de quibus vide *Knichen de Sax. non prov. jure verb. Ducum. c. 7. Choppinum de Domanio Regis Franc. Arniseum in libris Politicis & integram dissertationem Seidelii in illustri Viadrina habitam de sacro jure Domaniorum, Quod regna & alios Principatus attinet, distingvit Grotius 2. c. 7. §. 12. n. 1.* Regna, quæ pleno modo possidentur & in patrimonio sunt, ab his, quæ modum habendi accipiunt ex populi consensu; illa dividua, hæc, quia ex præsumta populi voluntate deferuntur, qui censetur id voluisse quod maximè expedit, individua esse existimat. De individuitate feudorum Regalium exstat Sanctio Friderici l. 2. *Feud. tit. 55.* quæ tamen in Germania in generalem consuetudinem abierrat. *D. Conringius Ex. 4. de Ducibus Germ. Pancirol. cons. 31. n. 1.* Et licet asserenti, quod feudum dividi possit, *Besoldus cons. 148. n. 17.* aliique nonnulli, probationem injungant; tamen verius est, Jus Primogenituræ in Germania superioribus seculis regulariter non obtinuisse, uti non modo *arg. A. B.* per quam in Electoratibus individuitas illa singulari ratione introducta est, verum etiam inductione exemplorum in singulis Germaniæ Principatibus probare licet, in quibus Primogenituræ initia ex recentiori tempore deduci possunt. De Jure Svevico quid de feudis Regalibus non dividendis obtineat, videri potest *ex Spec. Suevorum quod dicitur Keyserl. Land- und Lehn-Recht l. 1. art. 20. §. 3. ubi:* Man mag kein Fürsten Amt mit Recht zweyen Mannen geleyhen / geschicht aber es / ihr iedweder mag mit Recht nicht ein Fürst davon geheissen noch gesehen. Also mag weder Markgravschaft noch Pfalzgravschaft noch Gravschaft getheilet werden / so haben sie ihren Nahmen verlohren. Ex dispositione hominis individuitas inducitur vel per ultimam voluntatem vel inter vi-

vos;

vos; illud effectus suos exserit in jure accrescendi; hoc in  
correali obligatione. De singulis suis locis tractabitur.

APHOR. VI.

De individuis in genere est notandum (1) quod de  
ipsis unum sit iudicium, & de uno dispositum intellectu juris  
censeatur etiam dispositum de altero. *l. 22. ff. ad L. Aquil.*  
(2) quod utile per inutile in individuis vitietur *d. l. 22. l.*  
*tunc inutile ff. de peculio legato, & vicissim inutile per utile in-*  
*terdum salvetur ac sustineatur; l. 10. ff. quem serv. amit. l. 4. §.*  
*3. si servitus vindic. quæ omnia infra tufius deducuntur.*

APHOR. VII.

Individa quoque dicitur à Dd. stipulatio, quatenus  
interrogatio & responsio eodem temporis puncto circum-  
scribi debet *l. 1. §. 1. de V. O.* Eodem sensu interpositio au-  
thoritatis tutoriæ individa censeari potest, quatenus  
in ipso negotio pupilli præcisè requiritur. *§. 2. §. de auth. tut.*  
*l. 9. §. 5. ff. eod.* Nec aliter Testamentum dicitur indivi-  
duum, quia actu continuo nec interrupto fieri debet. *§.*  
*sed cum paulatim §. de test. ord.* Verum has omnes significa-  
tiones individuorum hujus loci non esse ex supra dictis evi-  
denter patescit.

SECTIO II.

Exhibens

USUM INDIVIDUI-  
TATIS IN PERSONIS.

APHOR. I.

STATUS personarum triplex est, vel *Libertatis*, vel *Civitatis*,  
vel *Familie*. Libertatis status plane individuus est, ut  
pro parte liber, pro parte servus quis esse nequeat. *l. 9. ff. de*  
*liber. caus. l. 31. §. 1. de fid. libert.* Unde olim communis ser-  
vus ab altero manumissus jure accrescendi alteri totus com-  
pete-

B

pete-

petebat, quod favore libertatis à Justiniano correctum, & unius manumissio Jure Novissimo integram libertatem tribuit. *l. 1. C. de com. serv. man. §. 1. ff. de donat.* Hinc est, quod, duobus hominem in servitute petentibus pro parte dimidia, si separatim uno judicio liber altero servus judicatus sit, Julianus liberum esse totum debere respondit. *l. 30. §. 1. de lib. caus.* Et licet rei judicatae exceptio cohæredi non litiganti haud obstet; *l. 63. ff. de re jud.* in liberali tamen causa servo pro libero judicato eadem cohæredi non litiganti nocet, ut manumittere servum & ipse cogatur. *l. 29. pr. ff. de except. rejud.* Sic testamento per querelam inofficiosi pro parte evacuato, ut in casu *l. 13. C. de inoff. test.* licet omnia legata pro parte saltem præstentur, libertates tamen tam directæ quam fidei commissariæ in solidum durant, & à legatariis exigî possunt *l. 1. l. 13. l. 76. pr. ff. de leg. 2.* quia omnia legata, quæ dividuitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent, parte tamen æstimationis præstita *l. 80. §. 1. ad L. Falcid.* cui non obstat *l. 19. de jure codicil.* in qua legata, individua prorsus non deberi dicuntur. Sed ratio decidendi latet in ipsa lege.

APHOR. II.

In statu Civitatis paulo aliter se res habet, ubi quis in una civitate civis, in altera incola vel etiam civis esse potest. *Tabor in armam. p. 184. l. 6. pr. §. ult. l. 27. §. 2. l. 29. ff. ad municip.* Quo sensu statum hominis dividuum esse & distractionem admittere asserit *Dauth. de Testam. n. 140. Reinking de Reg. Sec. & Eccles. l. 1. cl. 2. c. 5.* Hinc Carolus V. simul Imperator fuit & subditus in Archi-Ducatu Austriaco, unde illud præceptum: **Wir Carl Römischer Kaysere entbieten dir Carln Erzherzogen in Oesterreich &c.** *Buxdorff in discurs. A. B. cap. 5. concl. 64. Linneus ad A. B. c. 10. n. 6.* Civem quoque civitatis & nobilem simul aliquem esse posse, ita ut non tantum juribus civitatis nobilis gaudeat, sed etiam ut in urbe domicilium habere possit, ostendit *Sprenger. J. P. c. 25. p. 340.* non tamen ex parte civis ex parte incola in uno loco esse quis potest.

APHOR. III.

APHOR. III.

Statum Familix constituunt homines sui vel alieni juris. Hi in potestate Patriæ vel Dominicæ positi. Illam inducunt justæ nuptiæ, quas *Modestinus l. 1. ff. de ritu nupt.* definit conjunctionem maris cum fœmina, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicationem. Unde inter conjuges intercedit nexus indissolubilis ac individuus (1) ratione *individue copulationis*, ita, ut sint duo in carne una, & maritus sit dominus corporis uxoris, & hæc domina corporis mariti, secundum Apostolum. (2) Ratione *individue societatis*. (3) Ratione *individue communicationis omnium jurium*. Hic, ut *Lactantius* ait, una habitatio, devota mens, servata fides individuum facit charitatem; Hic nihil tam humanum, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri esse participem. *l. 22. §. 7. ff. solut. matr. vide Gothofred. in not. ad d. l.* Ex qua individuitate venit, ut fœminæ nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione contineantur, cum fœminis clarissimam dignitatem tribuant mariti. *l. 8. ff. de Senat.* Unde mulieres ex maritorum persona forum sortiuntur, & genere nobilitantur. *l. 9. C. de incolis.* Et hac dignitate non solum ignobilis fœmina gaudet; sed etiam liberi ex hujusmodi matrimonio prognati veri nobiles sunt, nobiliumque dignitate, splendore, privilegiisque gaudent ob patrem nobilem, quamvis mater sit ignobilis, nec pro parte nobiles & ignobiles dici possunt. *Tiraquell. de nobil. cap. 17. n. 20. Decian. cons. 19. n. 273. vol. 3. Vultej. vol. 3. cons. 33. n. 167. & seqq. Guido Papæ decis. 90. n. 96. & 350. Wesenbec. cons. 16. n. 4.* Quamvis clarior & illustrior sit filiorum nobilitas, si ex parte matris quoque nobilitas accedat. *Bartol. in l. ult. C. de serv. fugitiv. Nolden. de statu nobil. c. 10. n. 22.* Hinc videmus de consuetudine in Torneamentorum ludis Equestribus non admitti eos nobiles, qui non tam matrem quam patrem nobilem habent. Ob ein Thurnier-Genoß eines Bürgers Tochter / oder eine Bäurin zu einem ehelichen Bett-Genossen nehme / der mag mit



Recht die weil er lebet ungeschlagen und unge-  
strafft den Thurnier nicht gebrauchen / auch der-  
selben Kinder von der Weiber einem geböhren / und  
ihre Kindes Kinder biß in das dritte Geschlecht.  
Hat er aber Brüder oder Freunde der einer thur-  
nieret / der soll an seiner statt einmahl geschla-  
gen oder gestrafft werden / das zeiget an die Eigen-  
schafft ihres Wapens. *Georg. Rixner in Thurnier-  
Buche im I. Thurnier zu Magdeburg gehalten / Anno 938.  
Knichen Tr. de vest. pact. p. 2. c. 4. n. 95. Limneus in ad lit. ad  
Jus Publ. l. 6. c. 5. n. 62.* Quam consuetudinem in quibus-  
dam collegiis Ecclesiasticis strictè quoque observari pate-  
scit. Hinc rarò nobiles cum foeminis civicæ conditionis  
matrimonium ineunt, & (quamvis non de jure,) nobiles eos,  
qui ejusmodi foeminas ducunt, despectui habent, ut videre  
est ex scripto alicujus Nobilis, quod refert *Henric. Salmuth. in  
Respons. Juris pro matrim. Princ. cum virg. nobil. p. 150.* An  
prædicta quoque accommodari possint ad illustres familias,  
ut uxor participet de dignitate mariti, adeò expeditum  
non est? in contrarium exstant multa exempla, quod in-  
æqualitas matrimonii inter Principes, Dignitatem & Titu-  
lum non rarò absorpserit. Sic Ferdinandi Archi-Ducis Au-  
striæ Philippinam Velferam ex familia Patritia Augustæ Vin-  
delicorum ducentis posteritas à dignitate & jure Domus Au-  
striacæ exclusa præter titulum & Marchionatum Burgovien-  
sem nihil retinuit. *Thuan. hist. l. 112.* Non meliora fata habuit  
Rex Svec. Ericus, quem fratres Johannes Finlandiæ & Caro-  
lus Sudermanniæ Duces Regno privarunt, quod inaudi-  
tâ levitate & imprudentia Catharinam militis vilissimi fi-  
liam ex concubina contra omnem honestatem in uxorem du-  
xerit. *Hamelman. Chronic. Oldenb. p. 2. c. 6.* Facit huc quo-  
que exemplum Friderici I. victoriosi Tutoris & Administrato-  
ris primùm, deinde Electoris Palatini, qui accepta uxore no-  
bilissimâ foeminâ Clara à Tettingen filios duos inde proge-  
nitos ad paulo inferiorem conditionem redegit, & Comites  
Im.

Imperii, annuente Cæsare, esse voluit. *Arniseus lib. relect. polit. 2. cap. 2. n. 38.* Imò innumera exempla recenseri possent, si temporis ratio permetteret, quæ quidem, quamvis pugnent cum rationibus civilibus, cum tamen Principes Imperii has minus in hoc passu attendant, sed ex rationibus politicis disputent, omninò dicendum videtur, quod per observantiam generalem liberi ex Matre vilioris conditionis & Patre Principe nati pro Principibus non habeantur. Secus tamen est, si Princeps duxerit paulò inferioris dignitatis uxorem, **so aber auch Herren-Standes ist/** ut, quando Princeps Comitissam ducit,

APHOR. IV.

Qui verò sui juris sunt homines, illorum aliqui absolutâ, cæteri restrictâ ac limitatâ libertate gaudent; Et hi rursus sunt vel in Tutelâ vel in Curâ. Tutela principaliter inhæret personæ, cujus status est individuus, unde & ipsa est individua. Hinc datus tutor ad universum patrimonium datus intelligitur. *Alex. conf. 44. n. 17. Arumæus disp. 16. th. 7. l. 27. ff. de tut. & curat. quæ explicatur per l. 21. §. 2. ff. de excus. tut. l. 10. §. 4. ff. eod. l. 1. C. qui pet. tut. vel curat. Rosenthal. c. 12. concl. 10. n. 62. Decian. vol. 5. conf. 207.* ubi dicit, dispositionem principaliter personam respicientem suum effectum in consequentiam ad bona sita extra territorium porrigere. Hinc tutor simpliciter datus ab uno iudice habet etiam administrationem patrimonii positi extra territorium illius iudicis, nisi pupillo ratione bonorum alibi sitorum à iudice istius loci jam dum sit prospectum. *Frantzke l. 1. Res. 16. n. 15. 16. & seqq. Gail. 2. obs. 123. n. 6.* Et tutorem habenti tutor dari nequit per vulgata, neque certarum rerum vel causarum testamento tutor dari potest. *l. 12. l. 13. l. 14. ff. de test. tut. Vinn. ad §. 4. J. qui test. tut. Bachov. ad Tr. vol. 2. d. 8. th. 2. lit. K.* Nascitur ex eo quaestio inter Dd. Juris publici admodum controversa, num Elector filio suo minorenni in Electoratum simulque provincias ab Electoratu distinctas successuro possit præter Tutorem in A. B. nominatum, qui personæ pupilli datur, alium adhuc tutorem



vel curatorem designare, potissimum verò respectu bonorum ad Electoratum non pertinentium? Quod tutorem attinet, dubitari potest (1) Quia Electoralis dignitas est *individua* & soli Primogenito competit, E. & Tutela *soli proximiori agnato*, & sicuti partitionem respuit in principali; ita in administratione accessoria, cum ipsa tutela sua natura *generalis* sit, & sic quoque administratio Electoratus, sive privatum sive publicum jus spectes; quod potentia, quæ naturali successionis ordine Hæredi Electorali, non ei, qui per breve tempus ipsius vices sustinet, inhaeret, inseparabilis ac individua sit; ita, ut in diversas personas conferri non possit sine magna rerum omnium confusione, (2) quod tutorem habenti tutor dari nequeat, *l. 4. C. qui pet. tut. l. licet C. in quib. caus. tut.* quia tutoris prius dati plena & omnimoda potestas non admittit alium adhuc tutorem. *Menoch. cons. 381. n. 1.* Cum enim disertè constituitur, ut *Proximior Agnatus* tutor existat liberorum relictorum ab Electore defuncto, & administrator, donec primogenitus ex illis legitimam consequatur ætatem, evidenter sane liquet, tam in Electoratu quàm cæteris Ducatibus ac Territoriis individua constitui tutelam. Quamvis moderna Imperii facies, quæ explicat disparitas religionis, hoc ita temperari svadeat, ut tutela maneat quidem individua intuitu tam Electoratus quàm reliquorum Principatum Electoratus non incorporatorum, adjungi tamen possit ipsi *Legitimo* tutor honorarius, cui facultas sit impediendi & præcavendi, si quid præjudicii *Legitimus* intendat. Quod si enim contingat, proximum agnatum religione dissidere à pupillo Electorali, sine periculo mutandæ religionis tutor dari vix potest; Quæ enim tutor patietur pupillum in diversa religione apud se educari, quam ut hæreticam damnat? Quæ & controversia superioribus annis inter Comitem de Ortenburg agnatum & viduam Ortenburgicam matrem circa tutelam filii ventilata. *Fritsch. Elect. J. Publ. c. 9.* Unde Ludovicus VI. Elector Palat. fratri suo tres contutores testamento adjunxit, Marchionem Brandenburg. Landgravium Hassiæ, & Du-  
cem



cem Württemberg. Et Christianus I. Elector Sax. Friderico  
Willhelmo Duci Sax. agnato proximo & tutori legitimo, ac  
simul Joh. Georgio Electori Brandenburg. ut honorario tu-  
telam testamento detulit. *Magnif. Dn. Schilter. Ex. 7. §. 37.*  
Curatorem admitti posse putat *Limneus obs. 24. ad A.B.c.7.*  
cujus rationem equidem miror, quod nempe ex dispositio-  
ne A. B. tutor finitâ tutelâ nihil aliud quàm jus, vocem, ac  
potestatem, & omnia ab his dependentia cum officio tenea-  
tur resignare illi, cujus tutelam gessit, ad quæ, cum non re-  
ferri possint bona ab Electoratu non dependentia, creden-  
dum putat *Limneus*, alium quam tutorem eorum curam ha-  
buisse, *nam*, inquit, *si ad tutorem quoque hæc pervenis-  
sent, non minus hæc, quam cætera ipse restituere deberet.*  
Quasi verò unius assertio alterius sit negatio. Si enim ter-  
ræ Electoratus sunt restituendæ, multò magis & cæteri Prin-  
cipatus, non obstante, quod non expressè facta sit mentio in  
A. B. de reliquis Principatibus restituendis, quia sub ma-  
jori tacitè minus quoque intellectum venit; non enim pro-  
positum fuit Imperatori agere de Principatibus, sed de bo-  
nis ad Electoratum pertinentibus, quorum restitutionem,  
cum distulit in lapsum 18. annorum, non potest non tacitè  
subintellexisse reliquos Principatus, quia qui habilis cense-  
tur ad Electorale officium, quo in publicas vigilias & so-  
licitudinis Imperialis partem assumitur, imò pro ratione  
casus occurrentis totius Imperii administrationi tanquam  
vicarius sufficit, is multò magis in administratione pro-  
prietarum terrarum sibi ipsi relinquendus est. Neque *Li-  
mneus* sibi ipsi constat, dum *lib. 3. c. 7. n. 63.* aliam Bullam  
Caroli IV. in causa Rupertorum de anno 1356. allegavit, quæ  
prioris est interpretativa, & oppidò rationem ipsius destruit,  
ibi: **Soll ihm der Vormund alle Lande abtreten**/quam  
constitutionem edidit quoque *Marquardus Freherus de le-  
gitim. tut. Elect.* Nota quidem est controversia annò 1592.  
inter Richardum & Fridericum IV. Palatinos agitata, de  
quæ *Hermes in Fasc. I. §. P. c. 18. quest. 6. & Buxdorff. ad c. 7.*  
*A. B. §. 86.* Sed contra Richardum restituere nolentem.

&

& rationes & contraria observantia militarunt. *Buxdorff. d. l.*  
Unde ratio *Limnæi* nihil stringit.

APHOR. V.

Quamvis è re pupillari sit per multos tutelam non spargi, cum facilius unus tutor actiones exerceat & excipiat; *l. 3. §. 6. ff. de administr. tut. l. 24. §. fin. eod.* pupillo tamen opibus abundante à Testatore vel Prætorè, ut plurimum, plures tutores assignantur, inter quos nisi testator ipse vel iudex dividerit tutelam, in solidum pupillo tenentur, sive omnes administraverint, sive unus, *l. 55. ff. de administr. tut. l. 2. C. de divid. tut. l. 11. ff. de administr. tut.* nec refert ipsos tutelam inter se divisisse, *l. 2. C. de divid. tut.* cum ex tali divisione nudum tantum ministerium, non autem potestas nec exercitium divisum censeatur. *l. inter tut. ff. de adm. tut. Salgado labyrinth. credit. p. 2. c. 12. n. 26. H. Pist. lib. 1. q. 6. n. 33. Mev. p. 7. decis. 397. Carpz. V. resp. 69. n. 21. & seqq.* et ipsum jus tutelæ individuum & in solidum apud quemlibet tutorem duret. *Strauch. dissert. 5. th. 32. Rodriguez de concurs. & priv. cred. p. 1. art. 4. n. 16. Surd. cons. 170. n. 5. & 11. Donell. lib. 15. Com. c. 18.* Rationem, quo magis pupillis prospectum sit, Jctos & Imperatorem movisse, ut individuum tutelam facerent, scribit *Ronchegall. in l. 9. n. 218. ff. de duobus reis.* Aliam rationem exhibet *text. eleg. in l. fin. ff. rem pupilli salv.* ut rectè advertit *Meyrer. lib. 2. de priv. cred. c. 17. n. 5.* quod pupillus non contrahit cum tutoribus; sed in illos incidit, & ignorat omnia, ideò beneficium dividendæ actionis ex Divo Adriano non habere locum contra pupillos *Papinianus* respondet, quod & comprobatur *l. 2. C. si tut. vel cur. non gess.* Ex æquitate verò exemplo fidejussorum gaudent beneficio divisionis. *l. 1. §. 10. ff. de tut. & rat. distrab. l. 3. de adm. tut. l. fin. C. si tut. non gess. l. 2. §. fin. de cur. bon. dand. Hahn. ad Wesf. tit. de adm. tut. n. 7. Mevius p. 7. decis. 197. n. 1. & decis. 217. Montan. Tr. de jur. tut. c. 39. n. 149.* Quod si tamen divisa sit tutela à iudice vel testatore, tunc dividitur inter tutores obligatio ipso jure, non ope exceptionis, nec nudum ministerium, sed ipsa potestas ac exercitium divisum est.

H. Pist.

*H. Pist. i. qv. 16. n. 4. 5. 6. Decian. 5. conf. 85. n. 29. & qvilibet pro sua duntaxat administratione tutela iudicio tenetur, nisi per dolum & culpam contutorem malè administrantem, ut suspectum, non accusavit vel removit. Hahn. ad Wes. d. l. 1. 55. ff. de adm. tut.* Spectat huc elegans præjudicium Wittebergensium, quod exhibet *Zanger. de Except. p. 3. c. 19. num. 22.* Hat der Rath zu N. U. hinterlassenen Kindern B. F. und euch zu Vormündern verordnet / dergestalt und also / daß B. F. alle administration und Handlung an Ausgabe und Einnahme der Vormundschaft halten ; Ihr aber / weil ihr nicht schreiben noch lesen könnet / nur allein die Aufsicht und Inspection derer Feld-Güter / damit dieselben bestellet und gebauet würden / haben soltet / und es ist gemelter B. F. Todes verfahren / Derwegen / iedoch ohne euer Wissen und Zuthun / sein klein Stüblein / darein er was zur Vormundschaft gehörig verschlossen gehalten / eröffnet. Da ihr nun entweder durchs Raths-Buch / das euch billig edirt wird / oder sonst zu erweisen habt / daß izezt gemelter Rath das exercitium der Verwaltung erzehleter Massen dividiret und getheilet : auf dem Fall wäret ihr in solidum nicht obligiret / sondern allein / was von denen Feld-Güthern herühret / zu berechnen schuldig. Wo ihr aber solches nicht darzuthun hättet / und es wären gedachtes B. F. Erben solvendo, auf den Fall hättet ihr euch mit der exceptione divisionis wohl zu schützen. V. R. W.

APHOR. VI.

Quod si verò tutores ab extraneis, puta creditoribus hæreditariis, conveniantur, tunc ipsos non relevat divisio sive à Iudice seu testatore, sive ipsismet tutoribus per

C

certas



certas regiones facta, nec juri creditorum quicquam detrahit, cum jus illud universum ac individuum permaneat, unde si agatur per unum ex tutoribus, cui certi loci administratio assignata fuit, contra creditorem illius loci poterit debitor opponere compensationem de eo quod sibi debetur ex administratione alterius loci, quia quoad effectum juris jus creditorum & debitorum nihil immutatur per dictam divisionem administrationis. *l. 100. ff. de solut. Montan. de Tutel. c. 39. n. 109. c. 32. n. 104. Alex. conf. 32. col. 2. Peregrin. de jure fisci. lib. 5. tit. 1. n. 144.* Nam illa divisio id tantum operatur, ut unus tutor non debeat conveniri actione reali pro rebus ad alterius administrationem spectantibus. *l. 51. ff. de adm. & per. tut. l. 2. §. 2. ff. de cur. bon. dand.* Secus autem si actione personali agatur, quia tunc creditor contra quemlibet tutorem agere poterit, quippe æs alienum non restringitur ad certi loci facultates; sed universum patrimonium respicit. Quare divisio ista ipsis saltem tutoribus officit, quo minus pro ea parte vel regione quam non administrant agere possint, *l. 4. ff. de adm. tut.* non autem extraneis, qui eos possunt convenire, non obstante locorum divisione, adeo ut tutor unius provincie possit conveniri pro debito contracto in alia provincia. *l. 47. §. 7. de adm. tut.*

APHOR. VII.

Consequens est administrationis tutorie rationum redditio, quam tutor evitare nequit, *Schurff. cent. 2. conf. 41.* adeo ut nec ab ejus exactione appellare possit. *Magnif. Dn. Præses, Patronus ac Doctor meus æternum colendus in Tr. de gravam. extrajudic. c. 6. p. m. 502. §. 21.* Ante eam autem tutor debitor aut creditor dici nequit. *Rota Genuens. decis. 173. n. 16. Caball. conf. 121. n. 28.* Quia enim introitus & exitus, accepta & data sunt admodum in ratione connexa & inseparabilia, ut nunquam præjudicet confessio accepti, nisi simul videatur expensum, *Cravetta conf. 275. n. 13.* ideo ratione hujus connexitatis inseparabilis expectanda erit ratio completa, ex qua constare possit, an debitor sit  
ad-

administrationis vel creditor: *Escobar. de ratiocin. c. 21. n. 19.*  
*Menoch. conf. 1185. n. 2.* Unde licet tutor factus fuerit, aliquam  
quantitatem pecuniæ se exegisse, non tamen tenetur prius  
reddere, quàm ratio sit reddita, quia confessio hæc facta est,  
qualificativè, ut prius dispungi rationes debeant. *Gutierrez. de Tut. P. 3. c. 1. n. 52.* *Escobar. de ratiocin. c. 21. n. 22.*  
Sicut autem in omni rationum redditione prius de accep-  
tis constare debet, quàm de expensis, ita tutor officio suo  
haut satisfacisse videbitur nisi illos ipsos redditus, quos præ-  
decessor prioribus abhinc annis percepit, ob connexita-  
tem individuum in suas rationes simul retulerit, quia con-  
nexorum eadem est ratio, idemque iudicium, nec unum  
ab altero separari potest. *l. 3. ff. de tut. & rat. distrab. l. 10.*  
*§. 2. ff. de appell. Dec. conf. 110. n. 9. conf. 178. n. 1.* Unde quæ-  
ritur, an tutor posterior cogatur suscipere nomina, quæ  
justè putat non esse idonea à priori tutore vel ejus hære-  
de? Respondet Papinianus, cogi quidem suscipere, non  
tamen exactionem periculo suo facere. *l. 35. ff. de adm. &*  
*per. tut.* Tenetur autem ad rationes præter administrato-  
rem in subsidium quoque qui non administravit. *l. 8. C. de*  
*adm. tut. l. 3. §. 2. l. 40. ff. eod. l. fin. C. de div. tut. l. 4. §. 5. ff.*  
*rem pup. salv. fore.* Unde cautelam tradit *Escobar. de ratio-*  
*cin. c. 4. n. 14.* ut tutor non administrans citetur ad assisten-  
dum cum eo qui gessit, namque statim factâ eorum qui  
gesserunt excussione, absque novo processu poterit iste,  
qui non gessit, pro reliquis conveniri. Omnes autem, qui  
gesserunt vel eorum hæredes semper coram uno eodemque  
iudice ob individuitatem causæ vocari debent, *Montan. de*  
*Tutel. c. 39. n. 216.* non enim unus sine altero reddere ratio-  
nem potest, cum tota reddi debeat ab omnibus, *l. 13.*  
*§. 2. ff. de manum. test. l. 5. C. arb. tut.* idcirco hæres mortui  
Contutoris non auditur, si ad rationum redditionem se-  
paratim se offerat, antequam reliquorum administratio-  
nis officium est finitum. *Carpz. V. resp. 92.* Si Contutor  
plures hæredes reliquerit, notandum, quod licet actio tu-  
telæ inter eos ipso jure dividatur, obligatio tamen ad ra-  
tio-

tionem reddendas sit individua, ut hæres in solidum conventus ad reddendas rationes beneficio divisionis se tueri nequeat. Et ita in Dicasterio Jenensi anno 1641. ad requisitionem Ducalis Regiminis Vinariensis responsum fuisse, testatur *Richter. decis. 55. n. 84.*

### SECTIO III.

De

## INDIVIDUITATE JURIS IN RE, I. SERVITUTIS.

APHOR. I.

**I**Nter species juris in re individuas primâ fronte se offert servitus, quæ vel *Prædialis* vel *Personalis* est. Ut hæc personæ, sic illa prædio inhæret, & ita diffusa est, ut omnes glebæ serviant, *l. 3. ff. de serv. præd. rust.* & instar animæ tota est in toto fundo & tota in qualibet ejus parte. *Post Bartol. Dd. communiter. Cæpolla de serv. lib. 4. c. 6. n. 13.* Unde auditur individua ac respuit sectionem in partes. *l. 72. l. 2. §. harum. de V. O. l. vie. l. 11. §. fin. ff. de servit. l. 4. §. 6. ff. com. præd. l. 13. §. 1. 2. de acceptil. l. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid. l. 80. §. 1. eod. l. 6. §. 1. com. præd. Zas. ad l. 54. ff. de V. O. l. 8. §. 1. de serv. l. 34. ff. de S. P. R. l. 5. ff. com. præd.* Ratio hujus individuitatis non querenda est in eo, quod servitutes sint res incorporales, ut *Corasius ad l. 11. de servit.* vult, qui res omnes incorporales individuas esse naturâ statuit, qui tamen paulò post jura & actiones activè & passivè dividi inter hæres non negat: Sed potius in *causâ formali* ejus fundamentum stauerim. Cum enim servitutes in solo usu consistant, id est, nudo factò, puta euntis, aquam ducentis, tignum immittentis, projicientis terminentur nullâ re relictâ quæ dividi

vidi potest, l. 17. ff. de servit. utiqve & servitutes ipsas indi-  
diduas esse oportet. Objicitur (1) quod & numero & mo-  
do & horis servitutum divisio fieri possit, ut aquæ ductus,  
qvi temporibus ita dividi potest, ut certis diebus ego utar,  
certis vicinus, ut & inter Fabricenses videmus, jus Fabri-  
cæ in horas dividi, & ita pro diviso possideri gewisse *Stun-*  
*Den Hammer.* (2) quod servitus per partes retineri di-  
catur. per l. 8. in fin. ff. de servit. Ad primum respondent,  
*Gomesius d. l. Friderus lib. 3. c. 12. n. 4.* & alii, quod ita non  
dividatur ipsa servitus in substantiâ, sed tantum commo-  
ditas, usus & exercitium ejus. Sed videntur hi Dd. sibi  
ipsis non constare, quippe rationem individuitatis in usu po-  
luerunt, quem nunc dividuum esse dicunt. Sed salva res est,  
si eorum mens penitus inspiciatur. Servitus duplicis est con-  
siderationis, ratione facultatis est juris, ratione juris exequendæ  
est facti, hoc sensu servitus potest competere per temporis in-  
tervalla; non illo, & continua manet servitus ratione juris &  
facultatis, licet ratione usus & exercitii cesset per temporis  
intervalla, est enim substantiale servitutis causam habere  
continuum. l. 28. ff. de S. P. U. *Weixennegger. de S. U. P. n. 33.*  
*Hahn. ad Wes. b. t. n. 9.* Unde ipso jure neque ex tempore,  
neque ad tempus, neque sub conditione, neque ad certam  
conditionem constitui potest. l. 4. pr. ff. de servit. Quod si  
igitur duo eodem rivo aquam alternis horis separatim du-  
cunt, neuter amittit jus servitutis eâ horâ, quâ alteruter  
servitute utitur. arg. l. 5. §. 1. de aquâ quot. & est. Deinde  
dividuum dicunt servitutis usum *Friderus & Gomesius* quo-  
ad modum & intervalla quæ recipit, non autem quoad  
sectionem in partes discretas ac pro diviso, quia quoties  
eâ utimur, pro parte uti nequimus, ut ita individuitati  
usus servitutis non deroget dividuitas per intervalla tem-  
poris. *Forcatul. ad tit. de servit. p. m. 239.* Quod item dicit  
*Vinnius sel. quest. 28. p. m. 137.* verbis: *Recipiunt quidem &*  
*prædiorum servitutes divisionem per tempora; sed ita usus ser-*  
*vitutum non dividitur; sed per intervalla distinguitur, ut nihil-*  
*ominus totâ semper utamur servitute. l. 5. §. 1. de servit. est*

*enim tantum modus adjectus toti sive usui totius.* Haftenus Vianius. Ad (2) respondetur, quod d.l. non loquatur de divisione servitutis; sed ipsius fundi cui inhaeret. Servitus enim eundi, agendi, vehendi, quæ jam est per totum fundum, diviso fundo vel jugeribus uno aut altero separatis & interseptis, pacto interveniente restringi, modificari & coarctari potest, ita ut, quæ antea in toto amplo quatuor jugerum fundo exercebatur, nunc tribus vel duobus saltem jugeribus contineatur: per hoc tamen servitus dividi non videtur, sicut anima, quæ tota est in toto corpore & tota in qualibet ejus parte, per distractionem unius vel alterius membri in corpore non mutilatur; sed integra manet.

APHOR. II.

Indivuitatem servitutis adhuc infringere videtur l. 6. ff. de servit. quæ ad certam partem fundi servitutem constitui ac remitti posse dicit. Verum distingvendæ sunt (1) partes fundi à partibus servitutis, (2) partes fundi pro diviso à partibus pro indiviso. Servitus pro sui parte nunquam potest constitui, neque etiam retineri, non obstante l. 8 §. 1. ff. de servit. e. g. Titius moritur & relinquit Cajum & Sejum duos hæredes unius fundi dominantis, qui fundum in partes pro diviso dividunt, & quæritur: an servitus in duobus his fundis pro parte retineatur, an verò in solidum adhuc utriusque fundo competat? Resp. quod utriusque competat integra servitus, non enim potest quis pro parte ire, & pro parte non ire, unde singuli solidam servitutem vindicant, non partem, quia tota est in qualibet fundi parte. l. 6. §. 4. ff. si serv. vind. Quod & verum est, licet ante constitutam servitutem stipulator decesserit pluribus hæredibus relictis, tunc enim non extingvitur stipulatio, sed singuli in solidum servitutem petunt, quippe ex quo unius personam repræsentant, non immutant conditionem obligationis. l. 2. §. ex his. l. pluribus. §. etsi placet. ff. de V. O. Quod idem fallit in successore singulari, nam si quis fundum habens viam stipuletur, & partem fundi sui postea alienet, prius-



priusquam fuerit constituta servitus, inanis fit stipulatio servitutis, utpote in eum casum deducta, à quo incipere nequit. *l. 11. ff. de servit. qvā declarat l. 136. ff. de V. O.* ubi docet Jctus evanescere stipulationem servitutis, si fundus dominans aut pars ejus alienetur ante constitutam servitutum, nam, si semel constituta fuerit rei inseparabiliter cohæret, neque totius neque partis alienatione extingvitur: *l. 8. ff. de servit.* adeò ut si Dominus fundi dominantis partem fundi venderet, servitus qvæ tota est in toto, & in quâlibet ejus parte in emtorem quoqve transferretur, eâdem nihilominus apud venditorem remanente. *l. si pater. ff. de S. P. R.* Pro parte divisâ fundi servitus utiqve constitui potest, de qvâ *d. l. 6.* est intelligenda, quia hujusmodi pars improprie pars dicitur, & nomen totius induit, *vide Corasium ad d. l. 6.* Pro parte autem indivisâ servitus neque acquiri neque amitti potest, unde textus est notabilis in *l. 10. ff. quem. serv. amitt.* ubi si domini fundi dominantis non utantur servitute, & unus sit minor & alter major, ratione partis minoris conservatur & non perditur servitus quoad omnes, quod confirmatur per *l. 4. §. 3. si serv. vind.* ubi dicitur, quod sententia lata in confessoriâ pro uno ex dominis fundi dominantis profit & aliis.

APHOR. III.

Non potest igitur servitus pro parte fundo communi ab uno ex dominis imponi. *l. 5. ff. com. prad.* quia enim pars focii pro indivisâ non continetur regione certâ, sed diffusa est per totum fundum, ut necesse sit servitutum pro parte acquisitam in totum fundum diffundi, fieri non potest, quin constitutione hujusmodi pro parte una simul oneretur & pars altera. Non obstat, quod pars rei communis vendi, donari, pignorisve nomine obligari possit. *l. 7. C. com. atriusqve judic. l. un. C. si res com. pign.* Ratio enim diversitatis est, quod utilitas constitutæ servitutis non in solo jure consistat; sed factum desideret, quod non potest in constituentis parte explicari, quin focii pars attingatur, ac ejus utilitas diminuatur: quod secus est in emtione, donatio-

ne

ne aut pignoris obligatione, quæ sine incommodo focii ex-  
pediri nequeunt.

APHOR. IV.

Servitum oneris ferendi Cujacius *ad l. 85. ff. de V. O.* dividuam facit ex hâc ratione, quod ea in onere supra parietem vicini posito consistat, jam verò pro parte allevare & aggravare parietem posse vicinum non ipso quidem pariete sed onere diviso, ut si ejus tantum, quod ferre paries potest, pars parieti toti imponatur. A quo divortium facit Scipio Gentilis *in Tr. de div. & indiv. oblig. c. 15.* non tam servitum hoc modo dividi, quam ejus exercitum temperari & modificari autumans, quod reliquis quoque servitutibus familiare est, *per l. 4. & seqq. ff. de servitut.* Alio sensu *Franzk. tit. de S. P. U. n. 8.* dividuam dicit in casu, ubi à pluribus dominis resectio debetur, ad quam quisque pro parte tenetur. *l. 6. §. 4. ff. si serv. vind.* Ingenuè fateor, non nihil me *d. l. 6.* torsisse in ejus ratione investigandâ. Novum enim non est facta esse individua, nec præstatione partis debitorem liberari; sed nihilominus adhuc in solidum obligari ex pluribus iisque prægnantibus rationibus, quarum fortior est, quod aliàs, si debitor solutione vel præstatione partis esset liberatus, aliam postea partem ipsi liceret in pecuniâ solvere, cum ad factum præcisè non teneatur, & sic fieret solutio in diversis rebus contra mentem creditoris & contra *l. 85. §. 4. ff. de V. O.* Rationem suggerunt *Zæsius ad d. t. Donell. Com. c. 15. n. 50.* & alii nonnulli magni nominis Jcti, quia æstimatio facti in pecuniâ præstanda, quæ dividua est. Sed quo robore suffulta sit hæc ratio, equidem non video, quippe non est sermo de æstimatione facti; sed de ipso facto, quæ invicem toto cælo differunt, neque ipsa æstimatio semper expressè in petitionem venit; sed tacitè saltem, si factum non præstetur. Deinde si actio plurium dominorum ædium dominantium ad resectionem contra plures dominos ædium servientium ideò esset dividua, quia æstimatio resectionis est dividua, sequeretur quod & actio plurium ad resectionem contra unum esset dividua

vidua ex paritate rationis ; sed hoc absurdum esse patet ex præcedentibus *dict. §. 4.* ubi ex pluribus dominis singulos actionem in solidum contra unum habere dicitur. Alia itaque querenda est ratio, & hætenus inaudita, quod unus ex dominis ædium communium in solidum conveniri nequeat, quia in solidum non est dominus, in re enim communi nemo dominorum jure facere quicquam invito altero potest: *l. 28. ff. Com. divid. l. 26. de S. P. U.* & in re pari potiore causam prohibentis esse constat, unde dicitur, *in l. 8. ff. de S. P. U.* non esse jus ulli dominorum reficiendi parietem communem, & qui sciens nomine proprio commune ædificium reædificat, sumtus non repetit, *l. 5. C. de ædif. priv.* & ad eam Brunnem. multò minus cogi quis potest, ut alieno nomine reficiat, præsertim si alter socius ædes collapsas derelinquere maluisset, quod ipsi licitum, per *l. 6. §. 2. d. t.* Quòd autem Franzk, ex eo servitutem oneris ferendi dividuam dicat, in hoc fallit, non enim servitutis hujus essentia consistit in faciendo, sed supervenit jam servituti constitutæ, & facit ne semel constituta amittatur. Quamvis hoc ægrè à Jctis admissum fuisse, ut dominus servi cogeretur reficere, apparet *ex d. l. 6. §. 2.*, quod tamen ita admissum, ut non præcisè cogi, sed rem derelinquere possit.

APHOR. V.

Hætenus de Servitutibus prædialibus. Seqvuntur Personales, quæ excepto usufructu omnes quoque sunt individuæ, inter quas primum sibi locum vendicat Usus, in quo tantùm ad indigentiam personæ usuarii respicitur, cujus solo facto & consumptione is terminatur, nihil relinquens, quod dividi possit. *l. 19. ff. de usu & habit. Franzk. ad h. t. n. 6.* Facta enim omnia, si in his consistitur, indivisa sunt, quippe si quid non fecimus, in totum verum est nos non fecisse. *Donell. Com. c. 24. n. 40.* Unde tam connexam individuatamque sui rationem habet usus, ut nec diminutionem nec excessum admittat; si enim diminuas, uti non potes; si excedas, abusus erit, prout *t. t.* & præcipuè *l. 12 ff.*

D

de

de usu & hab. explicatur. Non officit, quod *Hottoman. quest. illustr. 20.* dicit, usum esse partem homogeneam usufructus. Falsum est enim, usum formalem sive separatum partem esse sive homogeneam sive heterogeneam; & quamvis in *l. 14. §. 2. de usu & habit.* Ulpianus dicat, si tibi usus, mihi fructus legetur, concurrere nos in usu; id tamen ex parte fructuarii non est de usu formali intelligendum, sed percipit saltem fructuarius, quod usuario superest. Pars itaque usus in re vel fundo certo jure servitutis relinquere non potest, quia ut nemo pro parte vivere ita nec pro parte uti potest: quod secus est, si simpliciter & personaliter quis promittat vel leget alteri dimidiam, tertiam vel quartam partem eius, quod sibi est necessarium pro alimentis nulla re vel fundo assignato, quia tunc vi obligationis personalis commodum aliquod pecuniarium promissum censetur, quod *Albericus de Rosate in l. 19. de usu & hab. & Cynus in l. 2. C. de hered. act.* probè attendendum monuere, quos sequitur *Gomez. Res. p. 1. c. 10. n. 20.* Si igitur ille, cui promissa servitus usus pro se & heredibus, decedat, pluribus heredibus relictis, quilibet habebit integram servitutum usus secundum qualitatem suæ personæ, & in solidum percipiet sibi necessaria. Unius enim rei plures usus esse possunt, quia nihil impedit, quò minus quisque v. c. tantum lignorum cadat, quantum ei sufficiat ad usum & consumptionem quotidianam; quod non est in usufructu, qui non nisi unus ejusdem rei esse potest, cum per rerum naturam fieri nequeat, ut plures in solidum fruantur, & singuli omnem fructum atque utilitatem percipiant. Licet autem una res pluribus ad usum sufficere possit, isti tamen in eundem usum conjungi nequeunt, quippe quâ ratione usus divisionem non recipit, eadem nec recipit communionem. Ea propter si duobus ejusdem rei usus sit legatus, nulla intelligitur conjunctio, nec deficientis usus alteri superstiti accrescit, sed statim ad proprietarium redit.

APHOR. VI.

APHOR. VI.

Jus venandi in alieno fundo communiter à Dd. individuum dicitur, quod verum puto, quatenus hæredes unius singuli in solidum jure hoc gaudent, ut cuilibet non per partem sed per totum fundum venari sit integrum, quod quidem *Mohr, de jure venand. c. 6. n. 16. & seqq.* ita restringit, quod, si ad duos vel plures in solidum spectat, non debeat illud jus quamvis individuum ab uno sine aliis exerceri. An verò & quænam sit servitus inter Dd. non convenit? Quidam negant esse servitutum prædialem, quia hæc deservit ad usum & utilitatem prædiorum vicinorum, quod non contingit in venatione, cum quis utatur hæc facultate in sylvis alienis, etiamsi agros vicinos non habeat; Alii negant esse servitutum personalem, quia servitus personæ deficit cum personâ cui debetur; Alii eam inter pacta personalia connumerant, quod etiam non verum apparet, quia interiret cum personâ; Ab his longè diversam sententiam fovet *Zoannettus de Venat Germ. n. 204.* statuens, venationem esse servitutum à sylvis & nemoribus plebejorum jurisdictioni nobilium debitam, idque ab effectu probare intendit, quod, si quis privatur mero & mixto Imperio cum omni jurisdictione, quam habuit in territorio, jus venandi quoque amittat: & subjicit bello Schmalcaldico nobilibus quibusdam ademptam jurisdictionem à Cæsare, restitutione tamen nondum indultâ, nullam venationem ibi exercere aut quid aliud ausos fuisse; Sed quantum *Zoannettus* erraverit, ostendit *Knichen de vest. part. c. 2. n. 58. & seqq.* Nonnulli hoc jus venandi pro verâ servitute prædiali venditant, ut *Zasius, Gail. 2. obs. 66. Modest. Pistor. conf. 14. n. 29. vol. 2. Mohr. de jure venand. p. 2. c. 3. n. 4. Kohl. in Exerc. lib. 2. c. 40. n. 4.* Sed quicquid alii statuunt, neutrum horum propriè esse statuerim, analogicè tamen ac impropriè servitutis prædialis naturam sapere, unde nec per omnia illius individuitatem imitatur, nec in totum eam respuit.

## II. PIGNORIS.

### APHOR. VII.

Alteram speciem juris in re constituit Pignus, cuius causa individua, l. 2. C. si unus ex plur. l. 2. C. de hered. act. l. 3. C. de neg. gest; sive una sive plures res ipsi sint suppositæ, l. 16. ff. de pign. quarum singulas partes tam in dividuo nexu ex æquo permeat atque afficit, ut totum pignus in totâ re, & totum in quâlibet ejus parte exemplo servitutum existere videatur. Carpz. p. 2. c. 23. def. 31. Unde unaquæque rei pars pro omni eo, quod in obligationem deductum est, ac quâlibet ejus parte tenetur, nec subsequutâ divisione rei aut principalis obligationis tollitur, mutatur aut minuitur; sed quamdiu aliqua ejus pars superest, jus ita constitutum plenum integrum ac in solidum in totâ re & singulis ejus partibus est, & illibatum manet cum omnibus juris effectibus. l. 6. C. de distract. pign. l. 18. §. 4. l. 25. §. 4. ff. fam. hercisc. In quo natura hujus obligationis pignoris accessoria recedit à naturâ obligationis principalis, ut quamvis hæc pro parte tolli queat, illa tamen integra ac in solidum semper maneat, non obstante quod Papin. in l. 65. ff. de evict. scribit, pro parte pignus liberari posse, quia hoc eo sensu verum est, quod pro parte solutâ pignus amplius non teneatur, non quod pro reliquo debito in solidum non teneatur, cum & ibidem Papin. significet, nihilominus rem manere pignori obligatam, etsi unus hæres persolverit quod debet, si alter adhuc pro sua parte obstrictus sit. l. 1. C. de luit. pign. Sedes hujus individuitatis est in l. 65. ff. de evict. l. 1. l. 2. C. si unus ex plur. her. l. 6. l. 16. C. de distr. pign. l. 85. §. pen. ff. de V. O. l. ult. C. de vend. pign. l. 25. §. 14. ff. fam. hercisc. l. 8. §. 2. l. 11. §. 4. de pign. act. l. 3. §. 2. qui pot. in pign. l. 7. §. 4. l. 8. §. 4. q. m. pign. solv. l. 31. §. 8. ff. de edil. edict. Adde præter eos qui de pignoribus scripserunt, H. Pistor. lib. 3. q. 12. n. 6. Carpz. p. 1. decis. 62. n. 9. Salgado labyr. cred. p. 2. c. 11. n. 4. Mevium V. decis. 68. §. 319. VII. decis. 183. Giphan. ad l. 1. n. 4. C. de hered. act. l. 72. n. 20. l. 85. n. 11. ff. de V. O. Brunnem. ad l. 65. ff. de evict. & ab his laudatum Molinæum in labyri th. div. & indiv.

APHOR. IIX.

APHOR. IIX.

Pignus constitutum est vel ab uno vel pluribus. Pri-  
 ri casu res obligata est vel propria vel communis ; Illo ex-  
 tra dubium est. quin particularis solutio non officiat, quò mi-  
 nus aut totum pignus à tertio possessore peti, *l. 65. ff. de evict.*  
 aut totum distrahi possit, *l. 16. C. de distrab. pign.* ita ut, nisi  
 toto debito soluto, jus sit creditori integrum in omnia op-  
 pignorata, etsi vel minimum tantum supersit. *l. 2. C. debit.*  
*vend. pign. imped.* Quod in favorem creditorum ita confi-  
 tutum videtur, ut facilius invenirent emtorem, cum ne-  
 mo partem facile emat, idque docet *l. 11. §. 4. de pign. act.*  
 Quamvis differat *Mindanus de process. lib. 3. c. 13. n. 12.* qui si  
 pignus commodè dividi possit, & in reliquo satis cautum  
 sit creditori, ejus rei rationem ex officio habere judicem,  
 posse putat. Sicut in hypothecâ generali æquius esse exi-  
 stimat *Frantzke. tit. de distr. pign. §. 28.* ne pro debito exiguæ  
 quantitatis distrahatur res magni valoris & pretii, cum ex  
 longè viliori creditor suum consequi posset, confer quoque  
*Donell. de pign. c. 12. p. m. 346. Bachov. lib. 3. de pign. c. 23. n. 1.*  
*p. m. 245.* Illud tamen an in jure subsistat, dubito cum *Brun-*  
*nem. ad l. un. C. si unus ex plur.* nisi pignus in pluribus rebus  
 consistat, quarum singulæ solutioni debiti sufficiant, quo ca-  
 su æquius esse puto, ne reliquas præsertim majoris pretii  
 distrahat creditor, *arg. l. 5. §. 10. ff. de rebus eorum qui sub tut.*  
 Secus est in retentione, quæ creditori in omnes res oppi-  
 gnoratas competit, quousque totum debitum est solutum;  
 Unde secundus creditor obtinere non potest, ut primus,  
 saltem retentis quæ ad securitatem vel solutionem suffi-  
 ciunt, cæteris decedat, eaque aliis creditoribus relinquat.  
 Quod non est in pignore Prætorio, per quod creditor non  
 æque individuum nexum in omnia debitoris bona impetrat;  
 sed tantum pro quantitate crediti. *t. t. C. de Prat. pign.* Re-  
 tineri autem totum pignus non minus usurarum quàm sor-  
 tis nomine potest. *l. 8. §. ult. ff. de pign. act. l. 18. qui pot. in*  
*pign. Bachov. ad Tr. vol. 2. d. 3. th. 3. lit. C. & Tr. de pign. lib. 3.*  
*c. 5. n. 5. & seqq.* imò & pro aliâ pecuniâ, quæ sine pignore



debetur, retineri potest. *l. 1. C. etiam ob chirogr. pec. Negligent. de pign. p. 5. m. 3. n. 46. Merlin. de pign. lib. 5. tit. 2. q. 78. n. 1. Brunnem. ad d. l.* Et ita Scab. Lipsiensis respondisse testatur *Carpz. p. 2. c. 25. def. 25.* Differt tamen obligatio principalis ex debito chirographario ab obligatione accessoria pignoratitia, quod propter illam pignus saltem retineri: propter hanc & vendi possit. *Bachov. de pign. d. l. § Dd. communiter ad d. l. 1. C. etiam ob chirograph. pec.*

APHOR. IX.

Eadem ratio est in successoribus sive universalibus sive singularibus. Illos quod attinet, novum non est, actiones & obligationes potestate LL. XII. Tab. inter hæredes ipso jure dividi, ut unus ex illis ad onus hæreditarium non teneatur, nec conveniri possit in solidum; sed pro rata tantum portionis hæreditariæ etiam ante divisionem hæreditatis. *l. 2. §. ult. l. 4. l. 6. l. 25. l. 51. ff. famil. hercisc. l. 6. C. eod. l. 26. C. de pact. l. 1. C. si cert. pet. l. 1. C. de Except. l. 10. C. de jure delib.* quod nec contraria testatoris dispositione mutari potest. *l. 56. §. 1. de V. O. l. 72. §. si test. ff. de leg. 1. l. 20. §. 5. ff. famil. hercisc. l. 26. C. de pact. Niger Cyriacus contr. forens. lib. 1. contr. 193. n. 3. Ant. Faber. de error. pragmat. decad. 80. err. 6. Merlinus de pignor. lib. 2. quest. 15. n. 48.* quamvis hoc in causâ dotis non est sine controversiâ; quippe sunt qui existimant, ejus favore quemlibet heredum in solidum teneri, ut *post gl. in l. cum ab uno. ff. de leg. 2. tenet Bartol. Afflictis decis. 332. n. fin. Gratianus discept. 16. n. 15. Fontanellus de pact. nupt. claus. 5. gl. 1. part 1. n. 49. Fachin. lib. 12. contr. cap. 51.* Contraria tamen sententia, quod dos nihil speciale habeat, verior & receptior est. Sed prædicta de dividendâ inter plures hæredes obligatione in individuis non obtinent. Unde actio hypothecaria contra unum hæredem rem obligatam possidentem in solidum cum effectu datur. *l. 8. §. 2. l. 11. §. 4. de pign. act. l. 1. C. de luit. pign. l. 2. C. de hered. act.* Cum enim hæc actio ex censu realium sit, quæ non dantur in hæredes quatenus tales, sed quatenus possessores *l. 42. l. 55. ff. de R. V. l. 2. de her. act.* ideo dis-  
posi-



positio LL. XII. Tabb. nec huc applicari potest; Sed de actionibus hæreditariis tantum exaudienda, quales proprie dicuntur actiones personales *Frantz. lib. 1. Res. 12. n. 66.* quæque divisionem recipiunt *l. 192. de R. J. l. 139. de V. O. Dn. Struv. Ex. 46. th. 79.* & hoc in tantum procedit, ut licet creditor debitorum alio successerit, & ita pro parte dimidiâ confusio facta sit, nihilominus tamen hypotheca adhuc in solidum ac integra duret. *l. 1. C. de hered. act. Bachov. de pign. lib. 3. c. 2.* Limitationem insignem hæc admittunt in hypothecâ tacitâ legatariorum, quæ contra naturam aliarum hypothecarum inter hæredes dividitur, *l. 1. C. si unus ex plur. hered. l. 1. in fin. C. com. de leg. Vinn. ad J. 2. J. de leg. n. 4.* quoniam non tenentur hæredes ex obligatione quæ à defuncto in illos descenderit, quomodo nec à defuncto hypotheca cœpit; Sed obligatio per aditionem demum, & hypotheca in ipsis incepit hæredibus, contra quos nova actio nascitur ex testamento.

APHOR. X.

Quæ diximus de hæredibus debitoris, accommodari quoque possunt ad creditoris hæredes, quorum uni licet debitor pro ratâ solvat, manet tamen pignus in solidum obligatum *l. 16. C. de distr. pign. l. 1. C. de iur. pign. l. 1. C. si un. ex plur. her. l. 1. §. 4. de pign. act.* ex quo tamen limitatio hæc notanda, quod si debitor solverit partem debiti uni ex creditoris hæredibus, & ipse fundum pignorum possideat, si cæteri hæredes creditoris totum pignus vendere velint, cogantur debitori offerre partem, quam cohæredi solvit. Sed quid si unus cohæres insciis vel non consentientibus reliquis de pignore transigat, hiverò id ratum habere nolentes totam pignoris causam integram ac individuam adhuc esse urgeant, quæritur an hujus individualitatis ratione & ille à transactione possit resilire, eaque non obstante unâ cum cæteris cohæredibus litem sui respectu sopitam instaurare, quasi per istam communionem & jus quoque suum salvum adhuc integrumque habeat? Simili in causa in Lipsiensi, Wittebergensi, & aliis quibusdam Collegiis affirmative decisum esse testa-

testatur *Dan. Moller. Semestr. 4. c. 1. per text. in l. Aristo. ff. quæ res pign. Hipp. de Marsil. sing. 180. Covarruv. pract. quest. c. 43.* Sed verior omninò est negativa, de quâ in conflictu videbimus.

APHOR. XI.

Singulares debitoris successores quod attinet, integrum est creditori contra quemlibet in solidum agere, ut aut rem restituat, aut integrum solvat. *Fachin. lib. 2. contr. c. 47. Rauchbar. p. 1. q. 33. n. 27. H. Pistor. 3. q. 12. n. 15. Mev. VIII. decis. 190.* Nec sufficit, si possessor offerre velit pretium rei possessæ, etsi res obligata sit minoris valoris. *Vinc. de Franchis. decis. 38.* Si tamen in re hypothecatâ meliorationes fecit, rei æstimationem duntaxat offerre ipsum posse, æstimatione licet totum debitum non ascendente, contentum *Barbosâ in l. divortio. S. fin. n. 27. Covarruvias lib. 1. c. 8. n. 3. Mantica de tacit. S. amb. conv. lib. 11. tit. 26. n. 15. Merlin. de pign. lib. 4. tit. 2. q. 81. & alii nonnulli.* Unde si prædium tributarium inter plures pro diviso dividatur, singuli possessores, pro ratâ suæ partis quam possident, pro futuris quidem collectis tenentur, quippe imminutio prædii diminutionem exactio- num quoque meretur. *Cravett. conf. 195. n. 17. S. seqq. Mynsing. 5. obs. 34. n. 1.* quod etiam fit in diminutione territoriorum; *Soll der vorrige und alte Anschlag des Reichs billich moderiret / und geringert / und denen / welchen solche Lande / Leut und Güter zugefallen / was und wie viel zu des Reichs Kriegs-Hülffen dar auff Vermöge den alten Anschlag gestanden / nach billichen und erträglichen Dingen und Werth deroselben zugelegt werden / R. N. de anno 1582. S. Zum ersten etc.* Attamen pro collectis præteritis quemlibet teneri in solidum puto, ob tacitam hypothecam, quæ ex causâ tributorum prædiis inhæret, adeoque cum suo onere transeunt ad quemcunque possessorem. *l. 1. C. in quibus caus. pign. Pancirol. conf. 46. n. 9.* Quod si verò res tributaria oneri incumbenti  
non



fos possessores pervenerint, non potest creditor partem unam à possessore integram vindicare; sed cujusque partis partem à singulis possessoribus vindicare eum oportet, cujus rei causam *Individuam pignoris naturam & conditionem*, quæ per divisionem subsequutam minui, tolli, aut atteri nequit, expressè constituunt, *H. Pistor. lib. 3. qv. 12. n. 6. Carpzov. p. 1. dec. 62. n. 10. p. 2. c. 23. def. 31. Bachov. lib. 3. c. 2. n. 2.* Quam sententiam communem esse fatetur post *Ripam Gomez. Merlin. d. l. q. 36. n. 26. Neguy. membr. 3. p. 2. n. 37. Christinaus vol. 4. decis. 77.* & pluries ita in Supremo Senatu Parisiensi conformiter judicatum esse, à viris Senatoriis accepisse se ait *Molinaus ad consv. Paris. tit. 1. §. 1. gl. 9. n. 45.* Possit quis non immeritò existimare, quod proponitur in *d. l. 7. §. 4.* non esse speciale in pignore; sed pendere à naturâ partis sive rei communis pro indiviso, quæ facit, ut proportionaliter idem de re communi venditâ aut in aliam obligationem deductâ fuerit ex jure respondendum. Notabilis textus est in *l. 25. §. 15. ff. de her. pet.* ubi, si quis putans se ex asse heredem partem dimidiam hæreditatis sine dolo malo consumserit, residuum integrum non esse restituendum cohæredi, sed partem ejus dimidiam, ab Ulpiano deciditur. Ratio hujus decisionis absque dubio est, quod utriusque pars pro indiviso diffusa est per totam massam hæreditariam, unâ itaque parte consumptâ, utriusque hæredis pars pro indiviso in illâ parte consumpta est, & remanet in residuo, adeoque non immeritò pars saltem dimidia residui est restituenda, cum altera pars pro indiviso absque dolo malo consumpta sit. Confirmat hoc *l. 1. §. 3. ff. si pars. her. pet.* ubi dicitur, quod, si ex parte me hæredem dicam, cohæres autem meus possideat hæreditatem cum extraneo, ratio faciat, ut à duobus petam hæreditatem, quia uterque partem meam possidet, quamvis hoc ut stricti juris postmodum fuerit correctum. *d. l.* Quin imò, si duo possideant hæreditatem, & duo sint, qui ad se partes pertinere dicant, non singuli à singulis petere contenti esse debent, puta primus à primo, secundus à secundo, neque enim

enim alter primi & alter secundi partem possidet, sed ambo  
utriusque pro hærede. *d. l. 1. §. 2.* Eandem quoque ratio-  
nem in venditione rei communis esse existimo. Exemplo  
res fiet clarior: Mævius vendit Cajo partem pro indiviso  
fundi sibi communis cum Sempronio; idem Mævius & Sem-  
pronius eundem fundum postmodum vendunt Sejo & Titio,  
qui fundum inter se certis regionibus dividunt, quæritur,  
à quonam Cajo partem suam vindicare debeat? R. à Sejo  
partem dimidiam partis quæ ipsi in divisione obvenit, & à  
Titio alteram partem vindicare ipsum oportere. De usu-  
fructu partis pro indiviso fundi communis exstat *l. 31. ff. de  
usufr. leg.*; ubi post iudicium communi dividendo usufru-  
ctus alteri legatus ex utraque parte fundi divisi pro parte  
dimidiâ adhuc debetur. In diversam abiit sententiam *Fa-  
gundes de J. & J. lib. 7. c. 6. n. 7.* citante eum *Brunnemann* ad  
*l. un. C. si res com. pign. & Castrensis ad l. 8. §. 15. ff. de trans-  
act.* citante eum *Merlino lib. 2. tit. 1. qu. 36. n. 25.* Sed, quæ-  
so, quomodo succurritur alteri socio fundi pro parte oppi-  
gnorati? Siccine in ipsius præiudicium fundus commu-  
nis potest pignore gravari, ut nec post divisionem pars ipsius  
libera sit? Primò ipsi subvenit arbiter, qui communi di-  
videndo hoc minoris partem æstimare debet, quod ex pa-  
cto vendere eam creditor potest, *l. 7. §. 8. ff. com. divid.* Se-  
cundo notanda est cautela *ex l. 3. §. ult. ff. qui pot. in pign.* in  
quâ traditur Cajo egisse cum fratre Titio, qui rem com-  
munem adhuc obligaverat, ut pecuniam solveret credito-  
ri, & nî faceret, jus esset fratri Cajo partem dimidiam  
partis ejus, quæ pro indiviso Titio obtegerat, distrahere. Ex  
quo pacto censetur pignus contractum, & obligata Cajo pars  
illa dimidia, de quâ vendendâ convenerat, & quidem  
non illa pars dimidia, quæ tenetur creditori Titii; sed alte-  
ra dimidia, quæ adhuc libera est.

APHOR. XIII.

Si plures sint debitores pignoratitii, distingvendum,  
utrum in unam summam ut correi se obligarint, nec ne;  
Illo modo sive singuli propriam, sive omnes unam rem com-



munem pro indiviso obligarint, pignoris individuitas evidens est; Hoc, licet obligatio principalis sit dividua; re tamen communi pro indiviso pignori supposita, ipsi quidem in solidum ratione quantitatis in obligationem principalem deductæ non tenentur, pro parte tamen rem pignoris nexu liberare nequeunt, sed manet illa pro extremo nummo obligata, adeo ut licet creditor cum uno ex creditoribus paciscatur, ne fundus pignori sit, hicque postea fundum possideat, nequeat tamen creditorem totum fundum petentem repellere, *l. 8. §. 4. ff. q. m. pign. solv.* fortassis quia pars pro indiviso non recipit separationem. Cum enim, ubi pars socii unius est obligata, etiam divisione facta pars, quæ ad alterum provenit, pro dimidia maneat obligata, & dici non possit, quæ pars sit ejus, qui pactus est super parte pro indiviso, nihil absurdi fuerit, si in specie *d. l. 8. §. 4.* totus fundus veniat in actionem hypothecariam. Quod si plures debitores singuli separatim pignus constituerunt, quilibet præstatione quotæ suæ integrum pignus luit: quemadmodum singuli in unâ civitate bona sua ex causâ tributorum obligata liberant, quotam suam pro modo patrimonii sive facultatum solvendo e. g. Wann sie sollen eine halbe oder ganze Steuer erlegen; quo de elegans existat Responsum illustris hujus Facultatis Juridicæ de A. 1640: Sind in Städten und Dörffern die guten Schock (nach welchen die Häuser oder Güter angeschlagen / und die Reichs-Kreyß- und Land-Steuren so wohl die Kriegs-Contributiones bishero abgestattet worden) sehr gefallen / also / daß an etlichen Orten kaum die Helffte / an etlichen der dritte und vierte Theil gangbar / ja an etlichen Orten ganz nichts zu erheben / und weil doch bey Einquartirungen / do ein oder das andere Regiment zu Rosß und Fuß assignation erlanget / keine Nachlassungen der Contribution wegen Mangelung der guten Schock

Schock passiret werden ; sondern die Obriste und andere Officirer ihre Verpflegung vollkömlich haben wollen/gestalt denn diejenigen/so noch auf ihren Häusern und Gütern sitzen/und etwas geben können/ die andern Häuser und Güter/ so entweder ausgestorben oder sonst verwüestet und deserirt worden / eine Zeitlang übertragen müssen/ bis es nunmehr so fern kommen / daß die Übertragung ganz unmöglich fallen wil / und do noch in etwas damit verfahren werden solte / zu besorgen / es möchten die übrigen Unterthanen auch vollends totaliter ruinirt werden / daß so dann ganz und gar nichts mehr contribuirt werden könnte. Wann nun gleich eurem Bericht nach in euers Amts Steuer=Cassâ auch Städte und Flecken nebst denen Dorffschafften gehören ; Dennoch aber weil es unbillig und wider die Vernunft läufft/ *aliam quidem esse debitorem, alium verò exigi & alteri molestum esse pro altero ;* Als seynd auch dahero die Städte oder Flecken / auch die Dorffschafften / und dagegen die Dorffschafften hinwiederum die Städte oder Flecken / oder iede Stadt / Flecken oder Dorffschafft seine wüsten Häuser und Güter/so in ihrer Gemeinde zubefinden/zu übertragen keines Weges schuldig. *Secus tamen est, si certa ac determinata pecuniae quantitas territorio indicta, quo casu ob quorundam paupertatem summa non minuitur, sed reliqui opulenti integram solvere tenentur. l. 4. C. de cens. Merckelbach, conf. s. Klock, conf. 28. n. 104. vol. 1. Si universitas pro debito civitatis sese obligaverit adjectâ clausulâ, ut bona universitatis & singulorum sint pignori. Bartolus in l. 4. §. 2. n. 11. de re jud. eumque secutus Baldus in l. 1. §. 2. quod cuiusque un. nom. putant bona singulorum obligata esse in solidum. Quod*

tamen rectius negatur, si separatim illa obligatio facta fuerit. Post Ripam in l. 11. ff. de pign. H. Pist. quest. 37. n. 21. Koppen. decis. 60. n. 27.

APHOR. XIV.

Pluribus creditoribus aut simul aut successivè & diversis temporibus res pignori obligata est. Illud non uno modo accidit ; aut enim res omnibus in solidum, aut in partes æquales, aut simpliciter obligatur. I. Casu, singulis in solidum competit actio Serviana adversus extraneos. l. 10. ff. de pign. Si tamen concurrunt, non nisi pro partibus experiri possunt. Brunnem. ad l. 16. §. 8. n. 18. ff. de Pign. Reluctio quoque pro parte fieri nequit, quò spectat casus singularis, quem refert Vultejus vol. 3. conf. 31. Nimirum ante annos centum & amplius ab Episcopo Dioceseos P. cum consensu ejusdem Capituli nonnulla bona in eadem Diocesi sita Nobili Familiæ W. oppignorata sunt, & quidem in solidum, quod tenor instrumenti super hoc contractu celebrati ostendit verbis : Und haben gelouet und louen in dußen breve vor uns und unse Erben an guden Truwen mit sameder Handt / und hebben Lifflicken mit upgerichteden Bingeren tho den Hilligen geschworen / alle duße Stücke und Articulu semtlicken und besundern also veer als uns de anroren / stede und vaste tho holden ic. Tandem 10. Julii 1576. Ratisbonæ in Comitibus, quæ tum ibi habebantur, duo fratres germani ejusdem familiæ R. & H. à prædictæ Dioceseos Episcopo, assentiente itidem Capitulo impetrarunt ne dum ipsi impetrantes viverent, cuiquam ista bona oppignorata reluendi ius esset. Quoniam verò non tantum prædicti impetrantes R. & H. ; sed etiam agnati ipsorum W. & R. à primis acqvirentibus in lineâ descendenti progeniti erant, eademque bona pro parte suâ etiamnum possidebant, in quæstionem venerat, utrum impetrantium agnati W & R. gratiosâ illâ concessione continerentur, & reluctance denegare possent, an verò ab eâ concessione  
omni-



omnino exclusi reuisionem admittere tenerentur ? Pro & contra adductis argumentis prægnantibus ac sanè dignis quæ ter & amplius legantur, tandem pro agnatis concludit *Vultejus cit. loc.* & individualitatem pignoratitii hujus contractus egregie deducit, ac dicit, ne particularis fieret solutio, siue redemptio partis rei oppignoratæ contra individuum pignoris naturam, necesse esse, ut Episcopus aut à reuisione istâ omnino & in totum abstineret, quoad H. vixerit, aut ut bona oppignorata tam ab H, quam à Wet R. redimeret, quod tamen ob concessionem factam fieri nequit. II. Casu non plus singuli quam dimidiam partem vindicant. III. Casu quod si nihil expressè de partibus actum; sed simpliciter obligata res fuerit, unicuique creditorum non in solidum nec æqualibus partibus, ut malè sentit *Faber, dec. err. c. 21. n. 9.* Sed saltem pro quantitate debiti, ut communis *Dd. schola, inter quos Donell. de pign. c. 12. Connarus. lib. 4. c. 17. n. 4. Franzk. tit. qui pot. in pign. n. 17. Wissenbach. disp. 40. ch. 10.* statuit, quò faciunt etiam textus disertissimi in *l. 16. §. 8. ff. de pign. l. 7. pr. qui pot. in pign.*; quod ipsum ita intelligendum, ut fundi v. gr. ducentis digni duobus, quorum alter 100. alter 50. credidit, oppignorati duæ tertiæ uni, alteri una tertia obligata sit. *Bachov. lib. 3. de pign. c. 12. n. 2. Merlin. lib. 3. c. 84. n. 3.* Unde & duo pupilli, qui hypothecam tacitam habent in re ex nummis eorum comparatâ, concurrunt non pro partibus dimidiis; sed pro quantitate pretii, quod ex cuiusque bonis pro eâ numeratum fuit. *d. l. 7. pr. ff. qui pot. in pign.* Quando successivè res eadem pluribus obligatur, etsi vel maximè debitor posteriori pignus constituens prioris hypothecæ meminerit, & adjecerit, ut in id, quod priorem obligationem excedit, res pignori sit, priori tamen dimisso pignus non tantum quoad residuum; sed in solidum obligatum erit, etiamsi id expressè actum non sit; sed de residuo tantum conventum sit, solida enim res nihilominus conventioni inesse videtur. *l. 15. §. 2. ff.*

*de pign.*

III, HÆ

### III. HÆREDITATIS.

APHOR. XV.

Quamvis hæreditas ratione objecti divisionem recipiat, de quâ exaudiendi sunt textus, in quibus dividi hæreditas dicitur, secundum *Hottomann. illustr. quest. 21.* Quatenus verò absque ullo corpore juris intellectum habet, *l. 50. pr. ff. de her. pet.* & quoad modum transmissionis, quæ pro parte ex testamento pro parte ab intestato fieri nequit, utique individuum illam ipsam dixerim. *arg. l. 1. §. 1. pars her. pet. l. 8. ff. de R. V.* Individuitas illa non naturæ, ut *Gomesius tom. 1. Res. c. 10. num. 11.* sentit; sed juris figmento mihi adscribenda videtur, quo hæres personam defuncti repræsentare censetur, *l. 31. ff. de her. inst.* quæ sicut pro parte vivere, ita pro parte repræsentari nequit, cum fictio naturam imitetur. Unde jus nostrum non patitur, ut quis de aliquibus bonis saltem in testamento disponat, & reliqua ab intestato velit transmittere; Sed aut totam hæreditatem ab intestato, aut totam à testato transmitti necessum est. Idcirco & actus testandi dicitur individuus: & quidem (1) ratione *materiæ* (2) ratione *formæ*. Priori modo ita dicitur, quatenus pars hæreditatis in illum actum non venit; Unde hæredes instituti in rebus certis, alio non scripto hærede universalis, totum consequuntur, & sunt hæredes in solidum. *l. 1. §. 4. de her. inst. l. 10. eod. l. 19. l. 9. §. 2. l. 33. eod.* Nam cum harum rerum quædam inter se pugna sit, successionis universi juris, cujusmodi est hæreditas, & acquisitionis rei singularis, potestate juris detrahitur rei mentio, & hæredi sic, quasi universaliter institutus esset, succurritur; nec refert, utrum æqualiter an inæqualiter in rebus certis sint instituti; sed omnibus æqualiter reliqua bona accrescunt. *l. 9. §. 13. ff. de her. inst. l. 10. eod.* quod secus est si in quota sint instituti. *l. 3. C. de test. milit. l. 10. pr. ff. de vulg. & pup. subst. l. 1. C. de impub. & al. subst.* Eadem ratio juris accrescendi est, si una pars relinquatur purè; alia verò in diem vel sub conditione, quia, si adit ex purâ, statim fit hæres in aliâ, & frustra expectatur conditio, cujus eventus nullum

lum habet effectum operativum. l. 33. ff. de her. inst. l. cum  
heres. §. fin. ff. de acquir. her. quod tamen limitatur, si habe-  
at in conditionalem partem substitutum. l. 52. pr. ff. de acquir.  
hered. In tantum igitur obtinet hoc jus accrescendi, ut ne  
à testatore quidem prohiberi possit, quia nullâ cautione  
efficere quispiam potest, ut contra regulam juris ei succe-  
datur, & ne jura in testamento suo locum habeant. Quid?  
quod invito etiam deficientis pars accrescat, l. 53. §. 1. ff. de  
acquir. her. quia hæreditas dividi nequit, ut pro parte adiri  
& pro parte repudiari possit. l. 1. l. 2. l. 10. de acquir. her. Un-  
de filius hæres institutus non potest retentâ legitimâ reli-  
quam hæreditatem repudiare, nisi habeat substitutum vul-  
garem, arg. l. 41. ff. de bon. libert. & propterea casus est ad-  
modum notabilis in l. 55. & l. seqq. ff. de acquir. hered.; ubi  
propter cohæredem abstinente[m] potest alius, qui jam adie-  
rat, à totâ hæreditate recedere, nisi totam velit agnoscere,  
quia, ut Marcianus ait, per suam personam, quod semel ad-  
eundo contraxisse videretur, abstinere se non poterat, id  
per alium potest, estque ratio, quod hæreditas sit aliquid  
individuum, ita, ut is qui adiit, altero abstinente, pro par-  
te hæres esse non possit, nisi & abstinente[m] partem accipiat.  
Quæritur, si Titius decesserit, hæredibus institutis Cajo sub  
conditione negativâ, & Mævio purè, & hujus deficientis pars  
vacans cohæredi accreverit, an Titius, conditione non im-  
pletâ, integram amittat hæreditatem, an suam partem  
tantum, quam sub conditione accepit? Resp. quod totam  
hæreditatem amittat. Licet enim altera pars vacans non  
conditionatim, sed purè Mævio sit relicta, adeoque eadem  
qualitate cohæredi accrescere videri possit; quia tamen  
Titius contraveniens conditioni suam partem perdidit;  
idcirco vi conditionis resolutivæ retrotrahitur tempus præ-  
sens ad tempus præteritum, & fingitur iste statim initio  
hæreditatem repudiasse, & ita defunctus partim ob ca-  
sum voluntatis, partim impotentia in totum intestatus de-  
cessisse censendus est. Memini hunc casum me aliquando  
legisse in *Cyriaci Nigri contro.* qui, nî fallor, pro & con-  
tra eum ventilavit, ad quem B. L. remissum volo.

F

APHOR.



APHOR. XVI.

Sicut *provisio legis* individuitatem hereditatis sustinet, ita legata ex *voluntate testatoris* interpretativa sunt individua, quæ pro parte acceptari & pro parte repudiari nequeunt. *l. 4. l. 6. l. 56. ff. de leg. 2. l. 8. §. 2. ff. de leg. 1. l. 18. §. fin. ff. de his quæ ut indign. aus.* quamvis id hæredes legatarii possint. *l. 38. ff. de leg. 1.* Neque minus jus accrescendi in illis obtinet, quatenus testator duos in unâ re conjungit, & alterutrum magis, quàm hæredem eandem solidam habere intendit. *l. 3. pr. ff. de usufr. accresc.* Quæ mens testatoris inducitur vel ex reali vel verbali vel mixtâ duorum in unâ re conjunctione, & quodcunque voluntatis in reali conjunctione non potest ex sermone colligi, hoc ex soliditate rei singulis assignatæ præsumitur: & contra in verbali, quodcunque non potest ex partibus assignatis primâ fronte patere, illud ex unitate sermonis, quæ frustranea non est, fit manifestum. Oportet autem initio solidum esse relictum, & postmodum per concursum partes pro indiviso esse constitutas, *l. 3. pr. ff. de usufr. accresc.* quæ regulam tradit, *toties jus accrescendi esse, quoties in duobus, qui in solidum habuerunt concursu divisum est;* quod non ita accipiendum, ac si legati soliditas scindi debeat, partibus realibus ac pro indiviso inter concurrentes constitutis, quia hoc casu in totum cessat jus accrescendi; sed de concursu legali est sensus, qui statim post mortem testatoris ex plurium conjunctione nondum repudiato legato nascitur, tunc enim testamento vires sortiente radicatur legatum in personâ utriusque conjunctim, & quia in solidum res legata in utrumque non transire, nec simpliciter in solidum vindicari potest, *l. 2. si pars her. pet. l. 25. in fin. de solut. l. 34. ad L. Aquil;* partes non ex voluntate testatoris expressâ; sed ex necessitate pro indiviso constituuntur, quæ postmodum jure accrescendi redeunt ad totum, à quo proximè divisæ sunt. Speciale hoc est in legato usufructus, quod & hic post realem concursum accrescat; secus ac in proprietate legatâ. *l. 1. §. interdum verò, ff. de usufr. accresc.* ubi additur

ditur ratio differentiae, quod usufructus quotidie constitua-  
tur & legatur, proprietatis verò eo solo tempore quo vindicatur,  
quod non est intelligendum de usufructu, quatenus ut no-  
men juris plura facta successiva in unum cogit, & fictio-  
ne quaedam in abstracto repræsentat; sed de actuali fru-  
ctuum perceptione, cujus ratione tot legata censentur u-  
susfructus, quot sunt facta fructuum percipiendorum,  
quæ cum quotidiana sint, usufructus quoque à Paulo  
quotidie constitui & legari, & dehinc ratione collegatarum  
semper de novo acquiri intelligitur.

APHOR. XVII.

Ratione formæ testamentum est individuum, quia  
pro parte valere nequit; sed aut totum corrumpat, aut  
totum valeat necessum est. *Tiraquell. de retract. §. 1. gl.  
21. n. 11. Cravetta conf. 375. n. 7. vol. 3. Decian. conf. 72.  
n. 31. vol. 2. Surd. decis. 222. n. 6. & decis. 268. n. 18. & pa-  
ria sunt, testamentum omnino non esse factum, & esse  
quidem factum, sed imperfectè. Unde si testator scri-  
psisset schedam, ut inde rogaret notarium de eo confice-  
re testamentum, & morte præveniretur, antequam illa  
dispositio esset exequuta, testamentum esse imperfectum,  
consultus respondit *Oldradus conf. 119.* quem casum pro &  
contra latè deduxit *Vultejus vol. 3. conf. 29. n. 127. & seqq.*  
à quo non alienum est exemplum, quod *Javolenus l. 25. qui  
test. facere poss.* refert: Si quis, cum testamentum faceret,  
hæredibus primis nuncupatis, secundos his substituturum  
se dixerat, sed priusquam secundos exprimeret, obmutuisset,  
hæredes ex testamento non futuros J. C. responderunt, quod  
tamen ita *Labeo* verum esse existimavit, si constaret vo-  
luisse plures eum, qui testamentum fecisset, hæredes  
pronunciare. Operosè hinc disceptari solet inter *Dd. mo-  
ralium*, num salvâ conscientiam, qui alias ab inte-  
stato erat successurus, subvertere possit ejusmodi testa-  
mentum, si ipsi de seriâ voluntate testatoris constet.  
Communitè à *Dd.* asseritur. Negat *Magnif. Dn. Schil-  
ter. in manuduct. phil. mor. c. 9. §. 3.* quod & semper ve-  
rius*



rius mihi visum. Constat quidem jure Civili multa contra rationem disputandi pro communi utilitate introducta esse, l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. & in conflictu regularum æquitatis salutem publicam supremam esse legem, quò Tacitus respicit, quando dicit: *habet aliquid ex iniquo omnne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ repensatur*, cujus exempla exstant in l. 14. §. 1. ff. de relig. & sumt. fun. l. 61. §. 5. de furt. Verùm legislatoris humani non est actuum intrinsicam moralitatem alterare, sed saltem actibus istis jure N. non determinatis per modum arbitramenti certam aliquam formam ad faciem Reipubl. accommodare, sine quâ actus iste destituatur vi ac efficaciam producendi obligationem civilem. Exemplum est in pactis nudis, quæ quamvis jure N. inducerent obligationem, modus tamen firmè promittendi cum non ex ipsis principiis juris N. simpliciter dependeat; sed quodammodo hominum arbitrariæ determinationi sit subiectus, idcirco jus Civile certum modum illis ipsis præscripsit, ad arguendam enixiorem paciscentis voluntatem, ut nihilominus pactum nudum, si in terminis merè moralibus versemur, absque vestimento juris Civilis in foro conscientiæ obliget. Quò minus enim jus N. eò minus ejus obligatio ut effectus formalis jure Civili tolli poterit. Ut redeamus ad ultimas voluntates, in propatulo est, penes LL. civiles fuisse, modum testandi ad usum Reipubl. temperare, præveniendis fraudibus quæ in scriptis testamentis intervenire possunt plurimæ, & dirimendis contentionibus, quas habendi cupido accerrimas erat suscitatura, igitur ubi ad Leges civiles testamentum non congruerit, effectus juris à foro civili ipsi denegantur, durare tamen videri posset obligatio naturalis, quamdiu reclamantis conscientiæ furia exagitant hæredem ab intestato, qui bona aliena sciens volens contra voluntatem Domini occupat, & verò hæredi jus quæsitum subvertit, quòd lex humana permissiva in foro conscientiæ justum reddere nequit.

SECTIO

## SECTIO IV.

De

# INDIVIDUITATE JURIS AD REM.

## I. CONTRACTUS EMTIONIS VEN- DITIONIS.

APHOR. I.

**C**ontractus, quo de loquimur, est negotium sub duobus actibus correlativum, & ita duplici quoque respectu individuum, quatenus emtio venditionem, & hæc vicissim illam involvit. Agitur autem vel ad *impletionem*, vel ad *resolutionem* ejusdem. Priori modo venditor integram rem cum omnibus, quæ ipsi coherent, tradere debet, *mit allem was er nied-uno nagel-fest ist / quæ terræ parietibus vel muris sunt affixa, instructa vel adjecta, was angeschraubet / genagelt / gemauret / und sonst befestiget.* l. 44. ff. de evict. De quibus omnibus pertinentiis vide sis *Friderum de contin. caus. lib. 3. c. 20. Georg. Barschamp. in rad. clausul. c. 27. §. 1. 2. 3.* item si quis vendidit domum vel fundum, videtur etiam vendidisse domum vel fundum ei adhaerentem, si utraque domus vel fundus uno eodemque nomine insigniri sivevit, *arg. l. 20. §. 7. de instr. & instr. leg. ubi dicitur, quod si testator leget fundum, videtur etiam legare præteritum vel alium fundum, qui est ei conjunctus.* Quò referendum etiam augmentum naturale vel casuale, quod ante traditionem rei venditæ accedit, ut ab illâ separari ac retineri à venditore nequeat. §. 3. 7. de emt. vend. l. 31. pr. in fin. de act. emt. l. 7. l. 8. l. 10. l. 11. ff. l. 1. l. 4. §. pen. & ult. de per. & com. rei vend. l. 4. §. 4. ff. de in diem ad

F 3

dict.

*dict. l. 1. §. 9. ff. quod vi aut clam.* Ut si quis simpliciter vendit ancillam, vaccam, vel bovem, partus vel foetus ante traditionem editus ad emptorem spectat. *l. pen. C. de act. emt.* atque ita ad emptorem pertinere dicitur, quod alluvione fundo vendito nec dum tradito accedit. *d. §. 3. ff. de emt. vend. l. 7. ff. de per. & com. rei vend.; fructus etiam maturi l. 13. §. 10. l. 25. ff. de act. emt. l. 13. C. eod.* item si quid servo vendito sit donatum, ut & hereditas & legata servo relicta, & quicquid ex operis venditori praestitis servus adquiret, id omne emptori est praestandum. *d. l. 13. §. 18. de act. emti.* Huc referunt quidam, quod, si pars fundi communis, pro indiviso possessa sit vendita, & ante traditionem, moto iudicio communi dividundo, totus fundus eidem venditori sit adjudicatus, totus fundus & sic alia dimidia vel alia pars non vendita emptori praestari debeat. *l. 13. §. 17. ff. de act. emt.* ex qua colligunt, iure accrescendi in contractibus onerosis locum esse, quod ex *l. 64. ff. de contrah. emt.* quoque probatum volunt, ubi si duobus fundus venditus, & unius persona inutiliter est adjecta, totius fundi emtionem ad alterum pertinere dicitur. Verum, quod *l. 13. §. 18. de act. emt.* asseritur, id non in favorem emptoris; sed venditoris introductum puto, cum aliam damnosa esset venditio partis rei, quia potius, quod pro sua parte venditam venditor accepisset, cogereetur socio pro altera parte ex iudicio communi dividundo sibi obveniente tradere, & ita perinde esset, ac si non ipsemet, sed socius rem suam vendidisset. Quod autem *arg. l. 64. de contrah. emt.* asseritur, id insubtiliter dictum putat *Vinnius ad §. 4. ff. de inut. stip.* quia, ut ius accrescendi locum inveniat, actus in utriusque personam ab initio consistat oportet, at in contractibus persona conjuncta facit, ut actus aut pro parte nullus sit, ut in *l. 110. de V. O.* aut ut perinde sit habendum, ac si omnino adjectus non esset, totumque negotium ad alterum solum pertineret. Rationem hujus legis esse existimo, quia unum pretium pro re tota constitutum est, & injuriam afficeretur venditor, si res pro parte tantum vendita intel-



telligeretur, quod ipsi præter voluntatem obtruderet com-  
munionem, ex quâ multarum litium seges semper germi-  
nare solevit. Unde parum adhuc probasse videntur asserto-  
res juris accrescendi in contractibus. Idem censeo de  
donationibus à Principe factis, *l. un. C. si Imp. liber. soc.* cu-  
jus legislationem decidendi quamvis in jure accrescendi  
quidam collocent, quos sequitur *Gomez. 1. Res. c. 10. n. 2.*  
*Carpz. p. 3. c. 2. def. 16.* Alii tamen fortè rectius liberali inter-  
pretationi Principis tribuunt. De infeudationibus vide  
*Rosenthal. c. 6. concl. 75. n. 3. & 7. concl. 76. n. 1. Knichen. de vest.*  
*pact. p. 1. c. 1. per tot.*

#### APHOR. II.

*Alterum* implementum ex parte venditoris est, ut se-  
cundum *Ædil. edict.* rem ab omni vitio morbo vel atente im-  
munem præstet, quod in tantum procedit, ut, si ejusdem  
generis plures res simul veneant, veluti Comædi vel cho-  
rus, ob vitium unius omnes redhiberi possint, quamvis *A-*  
*ffricanus* referre ait, in universas, an in singulas pretium  
sit constitutum, *l. 34. ff. de edil. edict.* Verùm, licet hoc ita  
per se esse possit, si tamen ad mentem contrahentium respi-  
ciatur, qui sapius non nisi omnes res vendituri fuissent,  
verius videtur, non tam ad modum pretii constituti, quam  
potius ad incommodum separationis, quæ sine manifesto  
damno ab emtore fieri nequit, respiciendum, & ita regu-  
lariter emtionem comædorum quadrigarum & similibus re-  
rum in certum usum junctarum unam esse, quoquomodo  
pretium statutum sit. Quod & ipse *Africanus* innuit, dum  
in *§. 1.* statim subjicit, toties sine discrimine pretii constitu-  
ti unam emtionem esse, quoties manifestum est, non nisi  
omnes quem emturum vel venditurum fuisse, ut plerumque  
circa hujusmodi res accidere solet, *l. 35. l. 36. l. 38. de edil. edict.*  
*arg. l. 22. ff. ad L. Aquil.* & aliàs in correspondivis, ubi unum  
alterius vice mutuâ est, utile per inutile vitiatur. *Cynus in*  
*l. sancimus. C. de donat. Albericus in l. 1. §. sed si mihi. ff. de V.*  
*Q.* quos refert *Vultejus vol. 3. cons. 31. n. 29.*

#### APHOR. III.



APHOR. III.

*Tertium* est, ut non saltem per venditorē ejusdem-  
 que hæredes; sed & per quoscunqve alios rem emtori habe-  
 re liceat. *l. 13. §. pen. l. 30. §. 1. de act. emti.* Unde si emtori  
 de re emtâ lis moveatur, venditoris hæredes aut etiam plu-  
 res venditores omnes in solidum de evictione tenentur, &  
 conveniendi sunt, ita ut omnibus emtor denunciare debeat,  
 nec etiam defensio pro parte admittatur, *l. 62. §. 1. ff. de evict.*  
 quia in solidum defendenda est venditio, cujus indivisa na-  
 tura est. *l. 139. de V. O.* & factum quoque habere licere,  
 quod defensione continetur, individuum. *l. 3. de V. O. l. 4.*  
*§. fin. l. 85. §. 3. eod. Giphon. in l. 4. de V. O. n. 64.* qui asserit,  
 quod de defensione in solidum in dictis LL. dicitur, non  
 distributivè, quod singuli; sed collectivè, quod universi in  
 solidum defendere debeant, intelligendum esse. Et ita  
 non sufficit, uni litem denunciare, ut veniat & evictionis  
 nomine in solidum emtorem defendat; sed omnes ac singuli  
 sunt citandi, ex hæc ratione, quod ommissa litem denunciatio-  
 ne nemo ad defendendum, multò minus ad evictionem  
 præstandam tenetur, adeoque si uni saltem lis denunciatur,  
 reliqui exceptione litem non denunciatae tuti sunt. Dissentit  
*Gail. 2. obs. 14.* Quod de redhibitione omnium rerum ob-  
 vitium unius rei diximus, idem in puncto evictionis obti-  
 net, si nimirum res commodè separari nequeat, ut, si jumen-  
 ta paria simul venierint, & unum ex iis evictum sit, utrius-  
 que nomine adversus venditorem agitur, *arg. l. 38. ff. de edil.*  
*edict.* Aliàs si res sit divisibilis, aut in eodem instrumento  
 deducantur plures res pretio diverso in singulas constituto,  
 censentur tot venditiones, quot sunt res, & una non de-  
 pendet ab aliâ, ita ut pro evictione unius non committatur  
 actio evictionis pro omnibus. Sicut dicuntur plures stipula-  
 tiones & dividuæ, quando plures res diversæ in unum con-  
 tractum deducuntur. *l. 29. pr. l. 75. l. 140. de V. O. l. 32. pr. de*  
*evict.* Qr. si pars sit pretii soluta, & res tradita, postea evi-  
 cta sit, utrum ejus rei consequetur pretium integrum ex em-  
 to agens; an verò quod numeravit? Resp. id tantum quod  
 nu-

numeravit, propter doli exceptionem. *l. 13. §. 9. de act. emt.* Si pars rei evincatur interest num illa sit pro indiviso vel diviso: *Priori casu pro quantitate evictæ partis fit regressus contra venditorem, l. 1. l. 64. de evict.* Quantitas autem partis sumitur ex toto pretio, ut si fundus centum jugerum venditus sit ducentis aureis, singula jugera intelliguntur vendita binis aureis. *l. 69. §. ult. de evict.* *Posteriori casu pro ratione bonitatis fit regressus. l. 64. de evict. l. pen. de edil. edict.* Ratio diversitatis est, quod illic, cum pro indiviso totius fundi pars evincitur, nihil potest dici pretiosius aut vilius cæteris partibus esse evictum, quatenus tunc ea pars æqualiter per omnia, quæcunque aut vilia aut pretiosa in eo fundo sunt, æqualiter fusa sit, quod non ita de parte divisâ, & à cæteris regionibus aut loco discretâ dici potest. Spectatur autem vel tempus evictionis, vel venditionis; illud in decremento, hoc in augmento fundi venditi. *l. 64. ff. de evict.* ubi quæritur, si mille jugeribus traditis perissent ducenta, mox alluvio per aliam fundi partem ducenta attulisset, ac postea pro indiviso quinta pars evicta esset, pro quâ parte author teneatur? Resp. neque partem quintam mille jugerum, neque quartam deberi evictionis nomine; sed perinde teneri authorem, ac si de octingentis illis residuis sola centum sexaginta fuissent evicta: nam reliqua quadraginta, quæ universo fundo decesserunt, pro ratâ novæ regionis esse intelligi.

#### APHOR. IV.

Ex parte *Emtoris* contractus implendus est oblatione integri pretii, quia particularem solutionem ut nocivam invito obtrudi Juris ratio non patitur, *l. 3. ff. fam. hercisc. l. 41. §. 1. de usur. l. 13. §. 8. de action. emti. l. 3. ff. de R. C. l. 6. C. de distract. Pign. l. 9. C. de solut. Hottomannus illustr. quest. 22. & quos allegat illustris Gothofredus de Jena in Tr. ad L. Commiss. §. 42. in fin.* adeò ut regulariter ista à solidi petitione non liberet, *Mevius p. 9. decis. 73. p. 2. decis. 208. Köppen decis. 56. n. 21.* ac moram committere censeatur, non solum qui nihil solvit, sed & qui nec totum. *l. 85. ff. de solut. l. 12. §. 1.*

G

de

*de V. S.* Semper enim opponi potest exceptio non adimpleti contractus, etiam si in minimâ parte vel nummo adimpletio deficiat. *Alex. in l. in execut. §. si ita. ff. de V. O. Vultejus conf. 18. n. 39. vol. 1. Roland. à Valle conf. 53. n. 22. vol. 1. Menoch. conf. 56. n. 6. lib. 1. Natta conf. 676. n. 19.* Secus tamen esset si fortè per errorem calculi nummus unus vel alter defisset, tunc enim parvus iste error nocere non debet. *arg. l. 31. ff. de cond. & dem.* Idcirco venditor rem venditam quasi pignus retinere potest, quousque integrum pretium sit solutum. *l. 13. §. 8. de act. emt. l. 14. §. 1. ff. de furt. l. 22. ff. de her. vend. Mevius p. 9. decis. 75.* Licet igitur emtor duobus heredibus relictis decesserit, & unus hæres pro sua parte pretium solverit, ex emto tamen agere non potest, quia solutio, quæ ab uno debetur, scindi ex accidenti non debet, cum omnis numerus eorum, qui in locum ejus substituuntur, pro singulari persona sit habendus. *l. 55. ff. de cond. & dem. l. 78. §. 2. de contrah. emt.* Secus tamen est, si duobus unius fundi emtio seu facultas emendi testamento legata sit, tunc enim uno repudiante legatum, alter partem rectè emit. *l. 41. §. 9. ff. de Leg. 3.* Item si debitum ex pluribus contractibus resultet. *l. fin. quibus mod. pign. solv.* Qr. Utrum is, qui partem pretii solvit intra tempus constitutum, residuum verò paratus est solvere post tempus elapsum, audiendus sit? Vide *Fachin. l. 2. c. 4.*, ubi alii admittendum eum affirmant, alii negant, alii distinguunt, ut, si post modicum temporis elapsi intervallum & sine damno venditoris emtor residuum offerat admittendus sit. Secus verò si post longum temporis elapsi intervallum & non sine incommodo venditoris offeratur, quam ultimam sententiam ut veriorrem cum *Fachin.* qui ad contraria etiam respondet, nostram jam facimus moti *l. 135. §. 2. ff. de V. O.*

APHOR. V.

Resolvitur venditio vel ex Pacto vel Lege. Pactum est vel Retrovenditionis vel Commissorium. Retrovenditionis obligatio est individua, quatenus pro parte fieri nequit, sed integrum pretium restituendum; quod limitat

Carpz.

*Carpz. p. 2. c. 1. d. 21.* si pactione in primâ venditione divisa fuerit pretii solutio diversis temporibus facienda, auf Tage Zeiten/oder Zeit und Ziel/qvo casu venditorem audiendum putat, si pari modo rem venditam redimere & pretium restitutionis statis temporibus solvere velit, & ita Responsum refert d. Anno 1572. verb: Haben eure Mutter und Geschwister *R.* So ist Kauffer euer Schwager euch dasselbe um den Kauff wie ers angenommen/wieder abzutreten/und sich gleichergestalt mit Tagezeiten befriedigen zulassen schuldig. *B. N. W.* Qr. An pretii restitutione non solum omnes impensæ & meliorationes, sed & laudemii refusio connumeranda sit? affirmat *Carpz. p. 2. c. 1. d. 24.* Rectius negat *Richte. decis. 83. n. 76.* Et ita iudicatum refert, d. anno 1660. verb: Daß ihr und euer Bruder bey Wiedereinlösung der Wiederkauflich veralienirten Güter eurem Better das von ihm entrichtete Lehngeld zuerst nicht schuldig. Rationem huius individuitatis *Gomesius* statuit, quod hic quantitas ordinata sit ad factum, juxta *l. 72. de V. O.* Aliter sentit *Friderus de Continentiâ Cause c. 13.* quod hoc faciat causa unitas & continentia, quâ una res est quæ emta est, & unum pretium, quâ eadem ratione & si pro parte evicta fuerit, tamen pro solido obligatio durat. *l. 46. ff. de sol.* Melior videtur ratio, quod restitutio pretii per modum conditionis resolutivæ se habeat ad retrovenditionem, conditiones autem contractibus appositæ ad eò connexam & individuum sui naturam habent, ut iis vel in minimo pendentibus omnis pendeat dispositio, quod non de iis saltem, quæ factum aut aliud aliquod individuum continent, verum est, *l. 13. pr. §. 1. de Man. test.* sed & de illis in quas individuum quid deductum est. *l. 23. ff. de condict. & demonstr. l. 4. §. 6. d. leg. 2. l. 38. d. leg. 1. l. 58. d. leg. 2. l. 15. eod.* in tantum ut nec in plures personas neque tempora scindi queant. *arg. l. 4. l. 6. de stat. lib. 1. 44. §. 2. de cond. & dem.* Ex qua ratione unus ex venditoribus aut venditoris hæredibus rem pro parte reluere nequit, quod non minus in censu quam aliâ quavis re redimibili obtinet. *Cencius de Censu quaest. 104.*

n. 9. *Rodriquetz de Red. lib. 1. quest. 18. n. 36. Pancirol. conf. 96. n. 36. Quod si vero unus ex venditoribus aut heredibus venditoris totum pretium offerat, emtor tenetur illi totam rem revendere. arg. l. 13. §. 1. ff. de in diem addict. l. 78. §. 2. de contrab. emt. Tiraquell. de retr. convent. l. 1. Gloss. 6. n. 37. Fach. l. 2. c. 2. Mantica de tacit. & ambig. convention. l. 34. tit. 32. n. 27. Berlich. p. 2. concl. 2. n. 35. Alphonsus de Olea. tr. de Cessione Jurium & Act. tit. 4. quest. 6. n. 28. & 29. Dn. Struv. Ex. 23. th. 45. Carpz. p. 2. C. 1. def. 11. Modo Reemtor caveat de revendendo partem socio, si is aliquando eam velit habere, prout responsum refert Carpzov. dict. loc. ibi: Und nachdem der Verkaufser Todes verfahren/ und etliche Erben hinter sich verlassen/ ist der eine unter solchen Erben sich des Wiederkauffs zugebrauchen / und die Länderey wieder an sich zu lösen gemeinet / Da nun derselbe die ganze Kauffsumma vollständig erlegen / und wegen seiner Mit-Erben / daß er euch gegen sie vertreten und schadlos halten wolle / gnugsame Caution bestellen würde / So seyd ihr ihm die erkaufften Güter wiederum abzutreten und einzuräumen schuldig / B. R. W. Dissentit Friderus de Continentia Cause pag. 184.*

APHOR. VI.

Legis commissoriae descriptionem tradit *illustr. Dn. de Fenain Tr. de Leg. Commiss. §. 6. quod sit conditio resolutive verbis directis & in continenti per pactum adjecta, emtionis & venditionis contractui, qua cavetur, ut nisi emtor pretium intra certum diem solvat, vel offerat etiam non interpolatus, contractus perfectus resolvatur, & arbitrio venditoris permittatur, an velit rem venditam vel invenditam esse. l. 6. §. 1. ff. de contrab. emt. l. 2. ff. de div. & temp. prescript. l. 2. de L. Commiss. l. 38. de Min. Exserit autem se effectus hujus legis statim ac terminus solutionis effluxus*

fluxus, quæ non censetur facta, quousque vel minima pars pretii restat, adeo ut etiam ob unicum nummum, qui adhuc deest commissoriam exerceri posse dicat *Baldus ad Rubr. C. de contrab. emt. n. 10.* & partis solutio non prohibet, quominus poena committatur in solidum. *l. 25. §. 13. ff. fam. her. cise. l. 85. §. 6. ff. de V. O.* Unde si in specie *L. Æmilius 38. ff. de Min.* in primo termino emtor solverit, non verò in posteriori, ex toto non ex parte venditionem rescindendam esse putat *Dn. Stryck. in diss. ad L. Æmilius c. 3. §. 3.* per ibi adductas rationes. Dissert tamen casus *L. Æmilius à casu L. sed Celsus. de contr. emt.* quod in casu illius legis, si primo tantum termino non solverit emtor tota res sit inempta; In casu autem *l. sed Celsus.* venditor teneatur expectare ultimum terminum, ita quidem ut licet in prioribus terminis non solverit pensiones, si tamen ante lapsum ultimi, totum offerat pretium, non rescindatur contractus, *l. 8. §. 3. de pign. act. l. 12. ff. de usur.*

APHOR. VII.

Legis potestate resolvitur venditio per retractum, qui est vel territorialis *die Marxlösung* / vel censualis *die Zinslösung* / vel partialis *die Theillösung* / vel gentilitius. *Magnif. Dn. Herold. in Tr. de Jure Repräsent. c. 5. concl. 12. §. 2.* qui quamvis Valentiniani, Theodosii & Arcadii Imperat. Constitutione in Imperio abrogatus. *l. 14. C. de contrab. emt.* ex generali tamen consuetudine postea ubique locorum rursus invaluit, *Gail. lib. 2. obs. 19. n. 1. Richt. decis. 76. n. 17. Colerus decis. 15. n. 42.* qui similiter individuus est ratione solutionis, quæ particulatim fieri nequit, etsi I. ex consuetudine aliàs solvi soleat diversis terminis. *Mevius p. 7. d. 73.* II. extraneus emtor particulatim pretium solverit, modo pretium ab eo sit solutum, aliàs enim retrahens integrum pretium offerre non tenetur, sed pecuniam, cujus dies venit consignare, & deponere, reliquam verò terminis ab extraneo emtore determinatis solvere debet. Æquum enim est, ut ejus conditionibus quis utatur, cujus vestigia intrat *Matth. Wesenb. cons. 73. n. 76.*

G 3

Quod si



Quod si verò consanguineus verum pretium, quanti res extraneo vendita sit, ignoret, eo casu particularem depositionem sufficere censent, addita protestatione, quod reliquum, statim ac de pretio constiterit, solvi debeat. *l. 5. ff. de stat. lib. 1. 34. in fin. ff. eod. Boër. decis. 112. n. 2. Gal. d. 1.* Mora enim contrahi vel committi non potest, nisi debitum sit liquidum. Ex his consequitur ab uno ex pluribus consanguineis jus retractus pro rata exerceri non posse. *Fachin. lib. 2. contr. 2.* Pluribus autem retrahere volentibus, videndum est, an bona commodè divisionem recipiant necne; priori casu inter retrahentes ea dividi debent; posteriori præfertur ille, qui prior provocavit *Richter. decis. 76. n. 47. Carpz. p. 2. c. 31. def. 10.* Quod si tamen plures eandem rem conjunctim vendant, tunc omnium cognatis, ac si singuli vendidissent, retractus pro rata competit, ut puta si vir & uxor rem communem vendant. *Tiraquell. §. 31. Gl. 1. per tot.* Individuitas hæc relictionis non tantum in una re venditâ; sed & in pluribus rebus simul venditis obtinet, quippe vel una vel quædam ex pluribus rebus pro parte retrahi nequeunt; sed aut omnes redimi, aut omnes dimitti debent. *Richt. d. 76. n. 47. Boër. decis. Bur. deus 251. n. 1.* Idque multorum locorum consuetudinibus receptum testatur & in thesi defendit, *Tiraquell. de Retract. §. 23. n. 1. & seqq. Costa de ratione rate quest. 100. n. 16. Christian. vol. 3. decis. 55. n. 24.* Sicuti quamvis Emphyteuta ex pluribus rebus in Emphyteusin acceptis quasdam derelinquere possit, ut se à Canonis præstatione eximat, cum tot videantur obligationes & stipulationes, quot res. *l. 29. ff. de V. O. l. 32. de Evict.* Si tamen constet res omnes simul & una concessione in emphyteusin datas, non licet id ei facere per tradita *Anton. Fabr. in C. rer. in Sabaud. Jud. libr. 1. tit. 42. def. 20.* Aliàs quoque, in fundis unâ concessis retrahi fertiles sine sterilibus non possunt. *l. 5. l. 6. C. de omni. arg. de serv. l. 1. de fund. rei privat.* cujus rationem reddunt *Impp. in dictâ l. 5.* quod videlicet iniquum sit electa retinere, cum alios gravatura sit pars relicta. *l. 47. §. 1. de Min. l. 13. ff. de iud. diem addict. Berlich. p. 2. c. 39. n. 75.* qui enim, vult habere  
car-



carnem, non debet recusare os annexum, ut dicit *Lancell. in l. principalis. §. servum tuum. col. 2. ff. si cert. pet.* Unde vulgo dicitur, aut totum contractum agnoscendum, aut à toto recedendum esse. *l. 16. ff. de adm. & per. Tut. l. 7. ff. de bon. libert. l. cum fundus. §. servum tuum. de R. C. Castrensis vol. 1. conf. 34. Natta conf. 535. n. 2. 3. & ita in Ordinatione Darmstadinâ cavetur. §. Item wenn etliche Güter mit einander sämtlich verkaufft würden / der Abtreiber aber die besten Stück herausziehen und abtreiben wolte / alsdenn soll der Abtrieb auch auf die sämtlichen Güter geschehen / oder nicht zugelassen werden ic. *Masuer. in pract. forens. tit. de retract. 28. n. 10. Peg. Tr. vom Vorkauff lib. 2. c. 39. vers. Zum andern. fol. 29. ubi casum refert. Limitantur hæc, si non omnia bona retractui sunt obnoxia. Berlich. p. 2. const. 39. n. 82. Christin. decis. 55. fol. 3. n. 4. Tiraquell. de retract. §. 23. gl. 2. n. 6. Quod iterum sublimitatur à quibusdam, si totum patrimonium tertio vendatur, quod tunc in bonis quibusdam particularibus quis Jure retractus uti nequeat, sed aut totum patrimonium emat, aut in universum retractu abstineat, necesse sit, atque ita ab illustri hac Facultate Juridica Mens. Febr. anno 1589. pronunciatum fuisse testatur *Matth. Coler. decis. 229. n. 2. quem refert & sequitur Berlich. p. 2. conf. 39. n. 84. ex ratione quod multa cum universitate transeant, quæ separatim per se non transirent. l. 1. §. 1. ff. de fund. dot. l. 62. ff. de A. R. D. l. 53. §. 1. ff. de Act. emt. Lamberteng. in Tr. de Jur. Patronat. lib. 1. p. 2. quest. 7. Rolandus à Valle conf. 1. n. 88. Hæc sunt quæ per temporis penuriam de prolixâ hâc materiâ delibare licuit; Eorum, quæ adhuc restant, proximè si DEUS vitam & sanitatem dederit, eâdem methodo quâ cœpi, continuationem polliceor.***

DEO interim sit LAUS & GLORIA!

---

ERRATA. *In Sect. I. aph. III. pro feudum lege fundum. in Sect. III. aph. I. pro formali lege materiali. aph. III. in fin. pro nequeunt lege queunt.* Divi-

**D**ividis eximiè, quæ *individua* esse recepit  
Mystarum Themidos cura forumqve, Tui  
Ingenii radiis. Hinc Præstantissimus arte  
Curati studii præmia consequeris.

*Clariss. erudita Disputationis  
Authori Imò,*

PRÆSES

**N. C. Lyncker, D.**

Confil. Sax. J. Fac. Sen.

---

**S**ic adeo in Themidis sanctum penetrare theatrum,  
Sollicita solers dexteritate studes  
Ingenii ut possis docti conamine cunctis  
Monstrare egregio, quæ Tibi sacra patent,  
Gratulor exornent mox debita pilea frontem,  
Quo possis studii præmia ferre Tui.


*Benevolentiam suam Nobilissimo Dn. Hoffmanno  
testaturus, gratulabundus hæc qualiacunque  
adjicere voluit*

**Christian. Lud. Ferd. von Deynhausen/  
Eqves Westphalus.**

**FINIS.**








00 A 6323

ULB Halle 3  
002 919 46X



Beob. ✓ V 717







23.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE

# INDIVIDUITATE

Quam  
PRÆSIDE

*Magnifico Academiae Rectore*

DN. NICOLAO CHRISTO-  
PHORO LYNCKERO,  
ICTO CONSUMMATISSIMO,  
SERENISSIMIS SAXON. DUCIB. A CON-  
SILIIS, ET IN AULA EISENACENSI UT ET REGIMINE  
SAXO - JENENSI CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO  
FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE, EJUSDEMQUE  
h. t. DECANO SPECTATISSIMO, AC PROFESSORE  
PRIMARIO, CURIÆ ITEM PROVINCIALIS AC  
SCABINATUS ASSESSORE GRAVIS-  
SIMO

DN. PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO  
NULO NON OBSERVANTIÆ GENERE ET OBSEQUII CULTU  
ÆTERNUM DEVENERANDO,  
publicæ eruditorum Disquisitioni  
exponit

AUTOR  
AUGUSTUS Hoffmann / H. S.  
Die Julii MDC LXXXIV.

---

JENÆ  
TYPIS GOLLNERIANIS,

